PETRI MÜLLERI
J. U. D. & Prof. Ord.
IN UNIVERSITATE JENENSI

TRACTATIO JURIDICA
DE
JURE PRÆGNANTIUM

Vom Rechte Schwangerer Weiber.

JENÆ,
Impensis FRANCISCI BORTOLETTI, 1732.

FELICITER!

IN eo vires ſuas mirandum in modum oſtendit ſagaciſſima rerum parens, natura, quod cum excogitaſſet duorum ſexuum rationem, attribuit eisdem, ut appeterent ſe invicem & conjunctione gauderent, quo hac ratione propagari ac multiplicari genera poſſent. Janoc. de. Manect. *lib. 3. de dignit. hom.* Et ſolos quidem homines, (quippe cum natura omnis ſui geminatione delectaretur) tam negligentes ſui exiſtere indignum erat, ut ex ſobole diuturnitatis ſibi memoriam in ævum relinquere detrectarent, neſcii, parentes ſub liberis vivere, & cum numero nequeant, ſpecie ſupereſſe. Ariſtot. *2. de anim. c. 4 poſt. pr.* Ingeneravit ergo ipſis Autor univerſi æternitatis appetentiam vehementiorem & acriorem, quam ceteris animantibus, quia & illi proximiores ſunt immortalitati. Ex quo factum, ut hominibus locupletarit generationis beneficium regiones, haud civitates tantum. Cumprimis autem mulieres, quæ propter virum fabricatæ *1. Cor. 11. v. 9.* nec non cauſa liberorum videntur inventæ, multum ad amplificationem nominis noſtri conferunt, dum graviſſimis cum moleſtiis fœtum in utero conceptum ſolicitæ continent. Quæ res effecit, ut a legislatoribus ampliſſima

Prægnantes ſortirentur privilegia, meque impulit, ut præſens acroama DE JURE PRÆGNANTIUM exarandum ſuſciperem. Quod ſi enim incredibili voluptate capimur earum rerum, quæ nobis a chariſſimis amicis offeruntur, cur non ea nobis arrideat materia, cuius maxima pars matres, uxores, filiæ ac ſorores noſtræ ſunt atque fuerunt, mollibus naturæ vinculis infantes, donec erumpant in lucem, detinentes? Tu vero indulgentiſſimum Numen menti meæ lucem affunde, ut in hoc laborum Academicorum ſpecimine ſacratiſſimo tuo Nomini & Gloriæ velificatum me eſſe appareat, Amen. Sit ergo

CAP. I.

Exhibens

Explicationem Nominum.

SUMMARIA.

I. Unde nomen juris derivetur. II. Quot ſint ſignificationes, remiſſive. Quid h. l. denotet. III. Unde dicatur prægnans. IV. Referri ſolet tam ad ſenſitiva, quam ad vegetativa. V. Quid denotet apud Grammaticos & JCtos. VI. Synonymum eſt Gravidum. Venter. VII. Quid venter denotet. VIII. Quomodo differat a partu & infante. IX. Quomodo prægnantem mulierem alias vocent. X. Quomodo differat a molaria & puerpera. XI. Deſcriptio.

Th. I.

Circa *Juris* derivationem mirifice diſcrepant Dd. Aliis a *jurendo*, quod nihil aliud denotet, quam quod natura jubet ſequi aut vitari. Spig. *Leg. Jur. h* Don. *1. com. 4. poſt. med.* aliis a *juſtitia* cum Ulp. *l. 1. pr. de J & J.* illud deducentibus D. Strauch. *diſſ. 1. aph. 1.* Dicimus priores ſecundum ordinem Grammaticum, poſteriores vero ſecundum denominationes Logicas procedere. Th. II.

Th. II. Certum quot & quos significatus vocabulum Juris sustineat, hic anxie neutiquam inquirimus. Videri potest *l. pen. & ult. ff. de J. & J.* D. Hahn. *ad Wesenb. cod. t. n. 14.* Nobis hic designat qualitatem moralem personæ competentem ad aliquid juste habendum vel agendum. H. Grot. *de J. B. & P. l. 1. c. 1.* §. 4. & Wilh. Grot. *Enchirid. c. 1.* §. *1.*

Th. III. *Pregnans*, pro quo *prægnas*, *atis* dixerunt veteres v. Turneb. *l. 29. Adversar. c. 27. pr.* Sic Phronesium meretrix ad Dinarchum apud Plautum *in Trucul. act. 2. sc. 4. Equidem nec peperi puerum, nec prægnas fui, verum assimulavi me esse prægnantem*: compositum autumamus ex *Præ* & obsoleto verbo *Geno*, i. e. genero, quod habetur *l. 17.* §. *1. de leg. 1. & l. 13.* §. *6. de reb. dub.* quasi exaudiatur prægenans, quale est animal, priusquam gignat. Corv. *Font. Lat. hoc vocab.* Genere autem & genare veteres dixisse placet ἀπὸ τῶ γεννᾶν cum Voss. *in Etym. h. voc.*

Th. IV. Referri solet tam ad bruta, quam ad homines. Varr. *l. 2. c. 4. de re rust.* licet convenientius iis τὸ fœtum esse tribuatur. v. Scriptores rerum rustic. Imo arbores quoque Plinio *Histor. Natural. 12. c. 14.* dicuntur prægnantes, quæ humorem & succum sibi familiarem assumpserunt, nec dum in flores aut folia propagarunt. Calep. *h.* Alio modo eædem prægnantes superstitiosis effectibus fabulose narrantur a Casp. Schotto *in Phys. cur. app. ad Lib. 5. c. 1* §. *2.*

Th. V. Prægnans quoque *Grammaticis* vox dicitur, quæ velut gravida est ubertate significationis. Casaub. *in Athen. l. 1. c. 22. circa fin.* Nec illepide Plautus *Asin. Act. 2. sc. 2.* prægnantes plagas appellat eminentes ac protuberantes, prout uteri solent esse prægnantium.

JCti denique prægnantes vocant clauſulas, quibus tanta Juſtitiæ vis ineſt, ut in contrarium audiatur nemo v. c. Ex plenitudine poteſtatis, motu proprio, certa ſcientia. Negationes item prægnantes audiunt illis, quæ virtualiter aliquid affirmant ſeu quarum ratio concludens dari poteſt. Sic ſi maritus neget partum eſſe ſuum, virtualiter affirmant eſſe ſpurium, ideoque aſſertionem ſuam negativæ contrariam probare debet per *l. 5. §. de probat.* quamvis alias neganti non incumbat probatio *l. 2. eod.*

Th. VI. Eandem quam prægnans, ſignificationem ſc. propriam habet *gravidum*, quaſi quod conceptu gravatur. Hinc Germani non ineleganter τὸ ventrem ferre, βαρύνεσθαι τὴν γαστέρα. H. Steph. *Theſ. Gr. Ling.* verb. βαρύνω per ſchwer gehen, it. ſchweres Fußes ſeyn exprimunt. Licet accuratiores dictionum Cenſores prægnantem velint eſſe, quæ concepit: gravidam vero, quam uteri gravedo proximam partui oſtendit. *Vet. Voc. Cath.* apud Matth. Martin. *Lex. Phil. b.* Prægnantem fœminam quoque alio nomine indigitare licet, ſcil. mulierem *pleno ventre l. 84. de acq. vel. om. her.* ubi etiam oppoſitum *vacua ventre*, quæ & *vacuus uterus* nominatur *l. 30. §. 6. eod.*

Th. VII. Ventris autem nomen non tantum competit prægnanti mulieri utroque prægnantis *l. 1. pr. de. ventr. in poſſ. mitt. t. t. de inſpic. ventr.* Sed etiam τῷ καρπῷ τῆς κοιλίας *Luc. c. 1. 42.* animali ſc. quod in utero exiſtit *l. 9. §. 1. ad L. Falc. & t. t. ſi ventr. nom. mul. in poſſ. miſſ. cum ſeq.* add. Berckringer *Inſt. Oecon. l. 1. c. 7.*

Th. VIII. *Differt* autem *venter* a *partu* & *infante*: ut innuit *l. 1. §. f. de vent. inſp.* quod hic ſit jam natus & intra annum ſeptimum conſtitutus: iſte in ipſo actu pariendi vel, ſanguinolentus, Græcis τὸ βρέφος ἀρτιγέννητον *1. Pet. 2. 2.* ille antequam natus ſit. Gothofr. *ad d. l. 1. §. fin. lit. H.*

Th. IX.

Th. IX. Caprificatam nuncupant mulierem, quæ exactis mensibus partui proxima Græcis ἡ ἐπιτόκος salutatur. Dietherr. *in add. ad Bes. Thesaur.* v. Schwängerung, Græcis affertur ἡ ἐν γαςρὶ ἔχουσα. *Matth. 1. v. 18. & 23. c. 24. v. 19.* ἡ ἔγκυος. *Luc. 2. v. 5.* ἐγκυμονοῦσα, ut veteres Glossæ interpretantur, it. γυνὴ βαρεῖα Martin. *voce Gravidus.*

A Gallis prægnans fœmina appellatur *Femme grosse*, Italis, *a Moglie gravida.*

Germanice in nonnullis locis dicitur: Sie ist zuvor sacket i. e. schwanger gewesen. Besold. *p. 3. Cons. 140. n. 51.*

Th. X. Differt a *molaria*, quod hæc morbosa sit: Mola enim a mole dicta (Græc. μυλύσαρξ) est caro dura informis & inutilis, in muliebri utero genita, instar veri conceptus & variarum figurarum. Aristot. *4. de Gen. an. c. 7.* Et fit a semine imperfecto atque infœcundo, ut cui calor deest, quantum adesse expedit ad fœtus conformationem. Contingit sæpe 40. die, interdum tertio mense, vel multo etiam sæpius, v. Castelli *Lexicon Med. hoc voc.* Imo fœmina quædam Argentoratensis molas carnosas 76. ultra decennium gestavit, teste Melch. Sebiz. *in exercit. Acad. p. 788. usque ad f.*

Prægnans contra κατὰ φύσιν se habere dicitur, & sana est, si modo nihil extrinsecus accidat, quod corpus ejus in aliquam invaletudinem immitat. Gal. *cl. ult. l. 14. Meth. med. c. 14.*

A *puerpera* τῇ λοχοῖ, λοχευτρία differt, quod hæc purgationem a partu procedentem patiatur. Mercur. *de morb. mul. l. 4. c. 1.* illa vero retineat prolificum semen aut fœtum in locis ad ejus augmentationem aptis, i. e. in utero Gal. *cl. 3 l. 2. de sympt. caus. c. 3.* licet Mussiponti fœtus extra uterum in abdomine genitus sit v. Deusing. *in descript. fœtus extra uter. gen.*

Th. XI. Prægnantem definimus *personam, quæ occupata est ingenerando, quod conceperat.*

Cap. II.

De Prægnantibus in Statu Gestationis.

SUMMARIA

I. Quænam prægnans apta dicatur. II. Exempla infantum & impuberum, quæ pepererunt. III Quibus annis accedat fœminis robur gestando utero sufficiens. IV. Quodnam tempus opportunum sit coitioni. V. Quæstiones. Num possibile sit mulierem ex viri semine concipere, nulla commixtione membrorum genitalium facta? An queat mulier illæso virginali septo concipere? Remissive. VI. Agitur de superfœtatione. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. Proponuntur monita Physicorum, Medicorum & Politicorum. XVI. Digna commiseratione mulier prægnans est, quando absurdis rerum multarum desideriis tenetur. XVII. Perversus matrum appetitus præposteras infantibus affectiones imprimit. XVIII. An denegat edulia, quæ prægnantes appetunt, sint causa abortus? Remissive.

Th. I

PRægnans fieri illa demum apta est, quæ in pubertate posita, quæ quomodo cognosci queat, docet Paul. Zacch. *qq. Med. leg. l. 1. t. 2. q 1. in f.* Scite admodum Seneca *l. 4. de benef.* apud Cypræum *de sponf. c. 9. §. 2. pubertas intelligitur, cum vox obsoleta facta est, & membra completa sunt & pudor ubique vestitur & menses tributa dependunt.*

Th. II.

Th. II. Si cum Caſſianis pubertatem ex coeundi facultate æſtimare velimus, ſeptennio minor, quæ uterum geſtat, non puella, ſed pubes vocanda *arg. c. puberes 3. de deſponſ. impub.* Exempla earum, in quibus malitia ætatem ſupplevit, proſtant paſſim. Sic fœmellarum undecennium Ruſſicarum ac Finlandicarum in ſatis fœcundo matrimonio viventium paſſim meminit Ad. Olear. *in Itin. perſ.* Et puellam novem annorum uterum geſtaſſe ac decimo puerperam factam, ex oculari teſte Albert. Pap. narrat Angel. in *ſum. verb. matrimon. impedim. 16. §. 5.* Savanorol. *tr. 6. c. 21. rubr. 6.* in Vaſconia fœminam anno ætatis nono, Joh. Schenck. *l. 4. Obſ. Med. 125.* aliam ejusd. ætatis in tractu Rhenum & Moſam inter peperiſſe legimus. Crus. *p. 3. Ann. Suev. l. 4. c. 11. p. 237.* qui ibid. *l. 3. c. 4 p. 144.* de puella octenni in pago Cell, eam puellum feliciter enixam refert. Eidem ſuperat quod habet Solin. *de ſit. orb. c. 63.* de mulieribus quibusdam Indicis, quæ quinquennes generant, ſed ultra octavum annum vivendi ſpatia non protrahunt. Und aus Mandelslohens Oſtind. Reiſeb. tradit Zeil. *cent. 5. ep. 41.* Daß ein Weib nicht weit von Agra, des Mogols Reſidentz-Stadt, eine Tochter bekommen, welche im andern Jahr Brüſte, im dritten Jahr ihre *menſes* bekommen; Im vierdten Jahr der Leib auffgelauffen, im fünfften ſolcher vergangen, im ſechſten ſie einen Sohn gebohren.

Th. III. Communiſſimum tamen putamus, circa annum 17. accedere demum puellis robur geſtando utero ſufficiens optimeque concoctum ſemen in illis deprehendi Zacch. *l. 4. t 2. q. 4 n. pen.* quam quoque ætatem Platonem & Heſiodum nubendo aptisſimam exiſtimaſſe prodit J. Lud. Viv. *de Chriſt. fœm. l. 2. c. 13 in med.* Nec enim expedi tam teneras Veneri aſſueſcere, cum intendatur libido, ſiſtanturque a progreſſu corpora. Id. *de Off. mar. c. 2. p. m. 50.* Ita-

Itaque florentisſima ætas optima, & intra 40. annum omnis concipiendi habilitas terminatur, quo elapſo prolem difficulter concipit mulier propter diminutionem caloris naturalis & impotentiam ſeminis, quod licet emittatur, non tamen eſt ita plerumque digeſtum, ſicut in generatione prolis natura exigit: Inſtrumenta enim naturæ virtute deſtituuntur. Maſc. *Vol. 3. concl. 1147. n. 8.* Adeoque multo magis inter monſtroſas raritates computatur, ſi major quinquagenaria patrum ediderit. *l. 12. C. de legit. her l. 21. pr. de act. empt. & vend.* quemadmodum Valeſcum de Tarenta, Medicum vidiſſe puerperam mulierem 67. annorum, ex Valleriola refert Schenck. *l. 4. obſ. 121.*

Th. IV. Tantum de habilitate concipiendi. Sequitur, temporis opportunitatem ut attingamus paulisper. Tempus autem coëundi optimum autumnant, cùm corpus neque ſupra modum plenum, neque vacuum extiterit, aut in calore, aut in frigore, aut ſiccitate aut humiditate exceſſerit. Galen. *c. 86. art. Med.* Itaque præcaveri debet ſatietas, cruditas, fatigatio, vomitio, purgatio & repentinus alvi fluor; horam ad procreandam ſobolem aptiorem cenſent Medici poſt cibum & ante ſomnum, cum ob alias cauſas, tum quod fœmina dormiens genituram melius retinet. Leonh. Fuchs. *Comp. art Med. c. 53.*

Th. V. Quoad modum prægnationis non adeo ſolliciti erimus, cum de eo differere ſcholæ ſit phyſicæ & medicæ. Ita de quæſtionib. *Num posſibile ſit mulierem ex viri ſemine concipere, nulla commixtione membrorum genitalium facta?* Negativam vid. apud Paul. Zacch *in qq. medic. legal. lib. 3. tit. 1. qu. 8.* Sinibald. *Geneanthropol. l. 1. tract. 3. cap. 7.* Similiter, *an queat mulier illæſo virginali ſepto concipere?* Affirmativam lege ex JCtis apud Vivium *lib. 2. deciſ. 229. n. 10.* ex Medicis apud Avicenn. *lib 3. fen. 21. tr. 4 c. 1.*

Sini-

Sinibald. *lib. 4. tr. 2. c. 3. pag. 458.* Caspar. à Rejes *in camp. elys. jucundar. quæst. Medic. Juridic. q. 41.* Negant ex JCtis Delrio *lib. 2. disquis. Magic. q. 15. in med.* & ex Medicis Hieron. Mercurialis *lib. 1. de morb. mulier. cap. 2.* Andr. Laurent. *lib 8. Annotom. q. 11.*

Th. VI. Nunc quoque de iterata, quam superfœtationem, ἐπικύησιν vocant, agendum esset, quia nempe ἄνθρωπος φύσει πολυτόκος ἐστί, καὶ περιέστι τε τῷ μεγέθει τῆς ὑστέρας καὶ τοῦ περιττώματος, μὴ μέντοι τοσοῦτον ὥστε ἐκτρέφειν ἑτέρους: natura homo perfœcundum est animal, in eiusque utero aliquid tum spatii tum excrementi superest, quamvis non tantum, ut vel alterum possit alere. Arist. *4. de Gen. An. 5.* hinc non novum utero graves superfœtare: quem tamen præter mulierem & equam pauca norunt animalia. Sed Medici accuratius de ea differant. Hoc saltem ex jure civili sufficiat notasse, Petr. Jacobi in *pract. aur. libell. Rubr. 51. §. 27.* ex *l. 30. §. 6. de acquir. hered.* superfœtationem colligere. Et ex historiarum monumentis sequentia, nimirum fœminam quandam unum justo partu, quinque mensium alterum edidisse, scribit Plin. *l. 7. N. H. c. 11.* Aliam unum filium pulchrum, qui assimilabatur viro suo, & post paucos dies peperisse unum turpem, amasio simillimum. Plura exempla superfœtantium collegit Schenck. *l. 4. Obs. 126.* Ubi simul de vidua Philippi Ludovici ab Hirschhorn. Anno 1584. formosum initio, sed mortuum infantulum, decem v. hebdomadibus post vivum puerulum in sui solatium enixa. Jung. Wolff. *tom. 2. R. mem. f. 988.*

Th. VII. Suadent Physici, ut caveat mater, ne longiusculo tempore post primum fœtum coëat, fit enim tunc, quippe utero magna ex parte ad partum usque se comprimente, ut maturato dolore primus partus intereat & posterior conceptus perfici non possit, adeoque abi-

gatur similis iis, quos abortus vocamus. Sin a primo conceptu secundus proxime molitus sit, paululumque temporis inter eos intercesserit, quod superfœtarit mater, nasci absolvique potest, non secus ac si gemini nascerentur. Ludov. Bonaciol. *ennad mul. c. 2. de iis, quæ utero gravib. accid. post. med.* Istud tamen ubique verum est: κυέουσα ἡ γυνὴ, ἢν μὴ λαγνεύηται ῥήιτερον ἀπολυθήσεται τοῦ τόκου, prægnantes facilius parere, a coitu si abstineant. Hippocr. *lib. de superfœt. post. pr.*

Th. VIII. Et cum fœmina præsumatur habere animum liberos procreandi *L. 2. C. d. ind. viduit. tollend.* hinc motum fugiat vel immodicum vel incommodum: ne ipsi eveniat, quod illi fœminæ mali commatis, quæ, cum conceptus fere trimestris nulli suboleret, jocose multa faciebat, adeo ut in vicinum lectum conjiceretur, ubi, cum in ejus ventrem lapsus juvenis esset, tantam utero vim mole sua intulit, ut elisus fuerit fœtus ingenti cum copia sanguinis erumpente, enarrante id Boneto *Phar. Med. lib. 9. n. 151.*

Th. IX. Suadent quoque tam physici, quam Politici, ne saltibus nimiis jactetur gravida, desultetque immodice aut resiliat aut saltet, ut Curii triumphantis soror. Schönborn *l. 1. pol. c. 6. post. med.* Huc facit sententia Zeileri *cent. 1. ep. 28. in fin.* durch das lange Tantzen werden die Adern in den jungen Leuten sehr verletzet, und entspringet das Bluten, und die Weiber bringen sich offtermahls üm die Frucht: Der Leib wird mit bösen *Humoribus* erfüllet, dahero das Zittern enstehet? Die Haut häßlichen und die gantze Leibes Gestalt verstellet. Aus dem welschen Tantze, so *Volta* genennet wird, sollen unzehlbare Todtschläge und Abtrieb der Kinder im Mutterleibe erfolget seyn. Et ne supra modum expavescat, ut Julia, Cæsaris filia, cum vestem Pompeji,

peji, conjugis sui cruore resperſam e campo domum relatam vidiſſet. Valer. M. *l.* 4. *c.* 6. & Plut. in *Pomp. verſione Cruſer. p m.* 493. & Soſia, Varronis uxor, quæ audito, Æmilium Paulum occiſum maritumque victum, expiravit, infante in utero manente vivo. Guev. *Horol. Princ. l.* 2. *c.* 15. nec comœdiis aut ſpectaculis publicis interſit; Sic Hippolytam, L. Papyrii filiam, Torquati conjugem, patri de Samnitibus triumphnti occurſuram conferta multitudine ipſam undique premente, animi deliquium paſſam eſſe legimus aput eundem.

Th. X. Nec conviviis diſſolûtis adſit, prægnantem enim neque implère cibis neque eſurire oportet. Varr. 2. *de re ruſt. c.* 7. *p.* 51. *in f.* alias uſu veniet, quod ſorori C. Duillii, quæ largius cœnata, fœtum, quem utero gerebat, cum ſpiritu ejecit. Horol. *d. l.* Ne inebrietur & crapulæ indulgeat. Hinc novis maritatis apud Carthaginenſes vini uſus interdictus erat, ne ſcil. fœtus labem inde conciperet, puta ſi nimium ſe ingurgitent. Quod ſi autem moderate bibatur vinum, haut nocet; nullum enim eſt alimentum, quod generationi magis conducat, quam vinum album, præſertim ad ingenium partui conciliandum. Philipp. Jacob. Sachß a Löwenheimb in *ἀμπελογρ.* *ſ.* 6. *m.* 2, *c.* 5, *num.* 7.

Th. VI. Nec præcingat ſe nimis ſtricte, ut Coriolani neptis. Horol. *ib.* Neu ſeptimo menſe præterlapſo nimium crebris deambulationibus utatur, ut ex Louys Bourgeois Hebammenbuch *l.* 2. *c.* 8. *p.* 13. probat D. Amman. *Med. Crit. diſc.* 76. Quod quoque velle videtur Bonaciol. *enn. multit. de proceritatis partuum cauſis,* his verbis: Mulier ambulatione ſe exerceat recta magis, quam flexuosa ſub dio in umbra, quam parietes aut viridaria jactant: finis citra fatigationem laſſitudo ſtatuenda. Illud vero durius-

cule, quod mulieribus properante partu viginti dierum tractu gestationes aut navi aut vehiculo usui esse *eod. c.* asserit. Porro videndum, ne gravidæ frigidis in locis sint aut laborent nimium: non tamen suadendum est plebejis fœminis, ut penitus se laboribus domesticis subducant, cum nimium otium & vita sedentaria nonnunquam abortui causam dederint.

Th XII. Cavendum est prægnanti, ne immaniter & vaste clamet: nec vehementer excandescat; aversetur ea, quæ tetrum odorem spirant. Bonet. *phar. Med. l. 9. §. 97. p. 86. & 87.* Sic abortus nonnullis ex lucernarum extinctu accidit Plin. *H. N. l. 7. c. 7.* Proinde in Castaneas, juglandes, avellanas tanquam in speculum intueantur prægnantes, quanta cura & solertia fœtus illarum e flore veluti conceptos natura occultet, & protegat; castaneæ quidem echinati calycis: Juglandis vero lignei putaminis operimento, ut neque aquis madefiant neque ventis excutiantur; ac tanto majorem curam fœtus habeant, ne per incuriam abortum faciant. *Guev. d. l.*

Th. XIII. Porro quia imaginationes vires magnæ ac validæ sunt in humano corpore, matres, dum uterum gerunt, dent operam, ne quam admittant vehementem cogitationem deformis rei, turpis, obscœnæ: pericula item devitent, in quibus fœda aliqua visu species possit offerri: ne ex inopinata novitate noceat, si quid repente aspexerint, unde contrahat noxam fœtus. Viv. *de Christ. fœm. lib. 2. cap. 13. p. m. 449.* Sic multi furacitatem, qua matres gravidæ se fœdarunt, vitæ totius moribus retulerunt. Sic prægnans quædam latronis in cruce pendentis crura intenta mente aspiciens puellam peperit cruribus deformem. Notabilis item est rela-

relatio Dygbæi de *Simp. & Antip.* de infante nato, cujus mater seorsim partu excluserit caput & seorsim truncum; prægnans enim cum stupore in foro malefici cujusdam caput detruncare conspexerat. Alias experimento quotidie deprehenditur, gravidam de morte parentum, amici, aut mariti tristem audiens nuntium eniti infantem cadaverosa facie præditum. Dn. Christ. Warliz *disp. inaug. de appet. gravid. Witteb. hab. th. 30.* Alia matrona Venetiis una portione gemellos edidit, quorum corpora cancellatis cruribus ita juncta invicem erant, ut ægre sexus discerni posset; quod aspexerat propudiosam quandam imaginem, qua conplexus sponsorum exprimebatur. P. Schott. *ph. cur. l. 5. c. 28. §. ult.* De fœmina Pelsenæ, in Bohemia, puerum similem imagini crucifixæ pariente vide Job. Fincel *p. 1.* von Wunderzeichen, *ad Ann. 1542.* Imo cum is sexus lascivus & ludibundus sit, oculosque in obvia quæque continenter desigat, accidit quandoque, ut naturalis facultas, quæ operi formando perficiendoque insistit, ascititiam formam infanti inducat a parentum natura ac conditione prorsus alienam. Sic cum Carolus V. ex Hispania in Belgium instructissima classe esset delatus multorum procerum apparatu stipatus, quam plurimæ honestæ fœminæ, quæ passim uterum gestabant, ex crebro Hispanorum contuitu, exactis novem mensibus infantes ediderunt superciliis capillisque ingris ac crispis, tum colore illis naturali undique assimili, Lev. Lemn. *lib. 4. c. 7. de complex.* Et opulento cuidam deformi, volenti prolem habere formosam, mulier eadem ex causa infantem pusionem lineamentis referentem peperisse, testatur Gal. *c. l. 5. c. 11. lib. de ther. ad Pison. lit.* C. Timandra quoque Britomandis P. Galliæ conjux cum secundo ventrem ferret & pedes in agros patiaretur, subito timore perterrita ad turbinis sonum, qui ingen-

cis campi messem cedentibus spicie percurrerat, filiolum edidit Astioristen, paulo infra cervicis exitum & in crure dextro maculam tanquam spicæ figuram ardenti purpura expressam habentem. Barcl. *in Argen. l. c. 9.* Ridiculum denique, que prope Lipsiam non ita diu contigit. Rusticus quidam juvenculam suæ conditionis duxerat, quæ in primo coitu ob nimiam τῦ γυναικεῖυ in modum erinacei aculeati asperitatem novellum maritum ad sanguinem usque læserat, quod hic indigne ferens dissolutionem matrimonii a Consistorio petiit. Illam autem notam mater ipsi impresserat, cum per campum ambulanti inopinato erinaceus offerretur, ad cujus insolitum aspectum manum cunno admoverat.

Th. XIV. Præcipiunt hic peritiores conjugibus, ut elegantes circa lectum genitalem habeant imagines. Hinc Persinnam, Æthiopiæ Reginam ex Hidaste marito pariter Æthiope filiam suscepisse albo colore insignem, quod imaginem Andromedæ curiosius aspexerat, prodit Heliodorus.

Th. XV. Illud advertendum bene, quod, si sorex, mustela aut tale quiddam inopinato corpori insilierit, aut fraga, cerasa, uvæ &c. ulli parti inciderint, ne hujusce rei vestigia imprimatur illi membro, mulier in ipso momento, quo hæc ingruunt, confestim absterso membro posticæ aut remotiori corporis parti manum adhibeat: quo facto statim averruncatur malum, aut contactæ parti nota infigitur, tota imaginatione ac facultate naturali eo conversa. Lev. Lemn. *l. 1. c. 4. in fin. de Occult. nat. mirac.* Ceterum de vi imaginatrice vid. Camer. *cent. 1. hor. subcis. c. 54.*

Th. XVI. Digna quoque commiseratione mulier prægnans est, quando absurdis rerum multarum desideriis tenetur: Compertum enim est, sæpe illas carbones aut cineres deglutivisse. Immoderati isti appetitus piccationum

num nomine veniunt, & ex eis horrenda facto non raro propullularunt. Sic non procul Andernaco An. 1533. fœmina quædam desiderio vescendi de carne mariti capta, noctu ipsius jugulo ferrum immersit, & per dimidiam noctem sinistrum brachium & latus, usque ad thoracem comedit, reliquum sale maceravit. In lucem tandem protrusit vivos tergeminos, simulque maritum quærentibus amicis, cum malaciæ furor deferbuisset, & eam facti pœniteret, omnem rem aperuisse fertur. *Fincel. p. 1.* von Wunderzeichen. Langius *Epist. Med. lib. 2. ep. 12.* Schenck. *l. 4. Obs. 131.* Quomodo autem punienda sit talis mulier, suo loco monebitur.

Th. XVII. Ceterum perversus matrum appetitus partim auctus, partim prostratus præposteras infantibus affectiones imprimit. Sic quando mater gestationis tempore hoc vel illo cibo vel potus genere, ad nauseam usque, se adimpleverit, nauseam istam simul fœtui communicat. Matris enim & fœtus consensus tunc est maximus. Quando contra prægnationis tempore peculiare edulii genus infense respuit, tum non minus, quam antea ob imaginationem eadem infanti accedit impressio. Warliz. *disp. de app. gravid. th. 27.* Atque ita judicandum de casei aversatione. Quamvis non dissimulandum, in aliis causam hujus esse certum stomachi temperamentum, qui contrarius est talis cibus, quemadmodum nonnulli grandiores facti fugiunt cibos, quos in pueritia avide manducarunt: in aliis denique alias causas nobis occultas in particulari. Schott. *Phys. Cur. l. 3. c. 7.* Also haben theils Leute den glatten Sammet, das Kratzen im Kopff, die Rusen, das Händ-übereinanderschlagen, des Sporen-klimpern nicht dulden können. Zeil. *cent. 1. ep. 78.* Ut plurimum tamen matrum culpa hanc detestationem comparari, constat.

Quidam

Quidam aversantur pisces, quidam carnes, alia ova, brassicam alii. Et Rusticus ille Nortlandus, in Waterlandia haud longe Alcmaria, in pago Scermerio, nullo alio cibo potuque vitam sustentavit, quam lacte vaccino, ut tradit Forest. *in Schol. ad Obs. 5. l. 4. de Febrib.*

Th. XVIII. Cæterum an denegata edulia, quæ prægnantes appetunt, sint causa abortus: an hujus etiam appetitus sit matris, an fœtus &c. vid. Casp. a Rejes *in Camp. Elys. juc. qq. Med. Jurid. q. 50.*

Cap. III.

De Prægnantibus in Statu Enitendi.

SUMMARIA

Th. I. Partus fit longævior, si diu gestetur, per rationes. II. Non creditur mulieri parturienti, quo mense & tempore pariat, cum nesciat initium conceptus. III. Quinque possunt nasci. IV. In tempore partus computandi mensis est 30. dierum. V. Non una est sententia, quando partus dicatur animatus. VI. Quid de sententia veterum Astrologorum, qui 7. Planetis maximam operationem in generatione tribuunt, sentiendum sit, remissive. VII. Quis partus dicatur legitimus & naturalis; in actu scil. signato. VIII. Execto ventre nati, quos ingenitos, seu partus Cæsareos vocant, Ausschnitlinge *possunt quoque dici naturales, & auspicatiores haberi solent. IX. Primogenituram sibi vindicat, qui totus in lucem prior editur, non qui quoad partem aliquam*

X. Mu-

X. Mulier, quæ ſemper mortuos parit, morboſa maxime eſt. XI. Partus quinquemeſtris num ſit legitimus? XII. Num Sexto menſe editus? XIII. Septimeſtris judicatur legitimus. XIV. Quid de Octimeſtri ſentiendum? XV. Nono menſe editus perfectus & legitimus eſt. XVI. Quid de adulterioribus menſibus judicandum ſit, remiſſive? XVII. Abortus qualia ſint præſagia? XVIII. Quis dicatur partus abortivus? XIX. Ad probandum partum abortivum non quivis admittuntur. XX. Dei benignitate abortus quandoque avertuntur. Refertur memorabilis hiſtoria.

Th. I.

HActenus prægnantem contemplati ſumus in ſtatu geſtationis, nunc conſiderabimus eam, prout eſt in actu *enitendi*. Ubi præmonendum ducimus, (I.) Partum fieri longæviorem, ſi diu geſtetur, quia (1.) fœtus plus habet ex ſubſtantia matris (2.) prodit confirmatior. (3.) aeris vim prædatoriam tardius experitur. Franc. Bac. de Verulam. *hiſt. vit. & mort. art. 3. obſ.* 4.

Th. II. (II) Non credi mulieri parturienti, quo menſe aut tempore pariat, cum neſciat initium conceptus. Boër. *dec. 299. n. 1.* Zacch. *l. 1. t. 3. q. 1. n. 45.* ex eo, quod antequam inflatus fuerit uterus, ut ſæpicule accidit, coire ſoleat. Ariſt. 7. *de N. Anim c. 4. poſt. med.* adeoque impoſſibile ſit probare, partum octavo vel ſexto menſe fuiſſe conceptum. Imo Maſc. *3. Vol. Concl. 1146. n 31.* ex Cagnolo *ad l. 11. ff. ſi cert. pet.* refert, mulierem, quanquam credentem, ſe laborare dolore ventris, ac ignorantem, ventrem plenum eſſe, filium edidiſſe. Scilicet cujus temporis aut dinumerationis initium ignoratur, ejus finis ſciri procul dubio nequit, juxta Dd. *in l. de diviſione 5. ff. ſol. matr. & l. ſi in diem 46. de cond. & dem.*

Th. III. (III.) Secundum Aristotelem quinque posse nasci, quia quinque receptacula in matrice mulieris, ut *l. si pater meus 36. de solut.* vel posse nasci septem ut *L. 3. si pars her pet.* Dn. Præses *in colleg. publ. ad l. 64. ff. d. Reg. Jur. Notab. 3.* Hinc Prætor interdum incertæ partis hereditatis petitionem etiam indulget. *l. 1. §. f. eod.*

Th. IV. (IV.) In tempore partus computando mensem esse de triginta diebus, nec plus nec minus, & sic lunarem, ut conjicere licet ex *l. Intestato 3. §. f. de suis & leg. her.* quod Jura quoque civilia statuunt *in l. Si maritus 4. §. extraneis autem 1. & l. Miles. 11. §. sexaginta 6. ad L. Jul. de adult. Auth. Jubemus C. de Judic.* Quod si dies bissextilis cadat ibi, computatur pro una die, licet alias in ætatibus & multis aliis illa dies bissextilis non computetur pro die. ut *l. 98. de V. S. & l. 3. §. 3. de min.* Pet. Jacobi. *in Pr. aur. libell. Rubr. 51. num. 26.* Dn. Præses. *ad l. 101. d. R. I.*

Th. V. (V.) Non unam esse opinionem, quando partus dicatur animatus. Gl. *ad l. 4. de extraord. crim.* statuit in masculis post quadraginta, in fœminis post sexaginta dies; idem sentit Zacch. *l. 1. t. 2. q. 8. n. f.* Abb. vero *in c. sicut 6. & in c. si aliquis 5. de homicid. n. ult.* concludit, quod in masculis post quadraginta, in fœminis post octoginta dies. v. Felin. *in d. c. si aliquis circa fin.* Nobis hic libet ἐπέχειν, & considerationibus physicis id relinquere, hoc addentes, quod falsum sit, mares citius perfici, quam fœminas, cum tamen utrique in principiis vitalibus conveniant.

Th. VI. (VI.) Ex veteribus Astrologis quosdam inventos fuisse (mos hic ab Ægyptiis descendit, qui sacros ritus, Medicinæ præcepta & Astrologica, simul eisdem

in

in libris consulto tradidere notante Seld. *l. 3. c. 22. de J. N. & G. Ebr.*) qui septem Planetis maximam operationem in generatione tribuerunt. *Primum* mensem Saturno, qui semen in matrice receptum frigiditate & siccitate sua condensat. *Secundum* Jovi, qui spiritum & membra tribuat. *Tertium* Marti, qui sanguinem subtiliat & humores ordinat. *Quartum* Soli, vitalem colorem & spiritum hepati & cordi tribuendi, *Quintum* Veneri organa sensibilia & officialia membra perficienti: *Sextum* Mercurio omnia corporis foramina disponenti: *Septimum* Lunæ suis limitibus membra dividenti & distinguenti. Confer Conciliatorem *in different. Physic. differ. 49.* apud Grillandum. *de sortil. q 13. n.* 3 *&* 4. Sed quid de hoc commento sentiendum sit, v. Magnif. h. t. Rectoris Dn. Wedelii *physiol. Med. sect. 3. c. 31. n. 3.*

Th. VII. (VII.) Partum legitimum & naturalem dici, qui ex legitimo matrimonio, maturus & justo tempore vivus totus prodiens, ad nullum declinans monstrum editus est *l. Quod dicitur 12. §. 1. ff. de lib. & posth. her l. Quod certum est* 3. *C. de posth. her. instit.*

Th. VIII (VIII.) Ex utero mortuæ matris cæsos, quos Cæsones, ingenitos seu partus cæsareos, Ausschnitlinge, vocitant, quamvis præcise loquendo dici nequeant nati, quod mulier nec tum pepererit. *l. anniculus 132. §. 1. de V. S. & arg. l. 1. § 8. ff. unde cogn.* posse tamen appellari partus naturales ob maturitatem seu perfectionem. Hahn. ad Wesenb *t. de. stat. hom. n. 3.* eosdemque auspicatiores haberi teste Plin. *Histor. Natur. l. 9. c. 2.* Quales fuisse Scipionem Africanum, Don Sancho Garziam, Regem Navarræ, Eduardum VI. Anglum, S. Gebhardum, Episcopum Constantiensem, Ulricum Comitem Würtembergiæ, Burchardum, Comitem Buchhornanum, aliosque

 com-

complures, prodit Zeil. *cent. 1. ep. 78.* Eandem naſcendi ſortem habuiſſe Ferdinandum Albanum, teſtatur ex Molin. *diſp. 624.* Beſold. *additionem. voc. Ingeniti.* Notabile eſt, quod Fincelius refert. *P. 2.* von Wunder-Zeichen, *Viennæ 1549.* fœtum mortuum ex mulieris cujuſpiam utero exciſum fuiſſe, quem a die Luciæ 1545. usque ad decimum Novemb. 1549. geſtaret, matrem nihilominus ſalvam manſiſſe.

Th. IX. (IX) Primogeniturum illum ſibi optimo jure vendicare poſſe, qui totius in lucem prior editur, non qui quoad partem aliquam, quamvis hic multum uniuscujusque civitatis jura peculiaria ſervanti tribuendum ſit. Hoboken. *ep. Med. 17.*

Th. X. (X) Mulierem, quæ ſemper mortuos parit, morboſam maxime eſſe, niſi ab externa causa id fieret, ut ex labore, ex excuſſione & ex quacunqne procatarctica causa. Zacch. *l 3. t. 3. q. 13. n. 4. & l. Quæritur. 14. §. 1. de ædil. edict.* deſiderare, prægnantem eſſe ſanam, quia ex quocunque morbo, prægnanti non familiari ſi mulier laboret, in majore diſcrimine poſita eſt ex prægnantiæ occaſione, quam ſi eodem morbo extra prægnantiam laboraret. ib. *n 10.*

Th. XI. His ita poſitis, ſupereſt, ut partuum tempora ordine examinemus. PARTUM QUINQUEMESTREM a 24. Aprilis usque ad 25. Septembris legitimum pronunciavit Facultas Medica Lipſienſis 1656. apud D. Paul. Amman. in *Medic. Crit. Reſp. 68.* aſt pro maturo & perfecto habendum negamus, quia qui tali tempore naſcuntur, aliquid violenti præſumuntur perpeſſi, ſeu ab extrinſeco aliquo, e. g. terrore, ſeu intrinſeco, e. g. loci anguſtia, alimenti defectu &c.

Th. XII.

Th. XII. Partum SEXTO MENSE editum legitimum esse, docet Renat. Choppin. *de privileg. rustic. l. 3. c. 8. n. 5.* & præjudicio Lipsiensium sub An. 1564. confirmat D. Amm. *Resp. 4.* Ast Bursat *lib. 1 Consil. 63. num. 18.* eum, quia naturaliter vivere non possit, pro mortuo haberi, tradit, nec succedere, nec facere deficere fideicommissum, in quo statur dicto matris, nec fœminam excludi per masculum in feudo, qui post patrem illico decedit. Dicimus, partum sexto vel etiam quinto mense editum esse legitimum, quando vivax non est, nec perfectus, per ea, quæ habet Carpz. *lib. 2. Consist. def. 227. n. 4. & lib. 5. Resp. 111. n. 22.*

Th. XIII. SEPTIMESTREM secundum Medicorum Dictatoris illius Coi effatum legitimum & perfectum judicavit Imperator *l. 12. de Stat. hom.* & ita pronunciarunt Lipsienses An. 1615. & 1638. apud Amm. *resp. 7. & 45.* add. Schenk. *l. 4. Obs. 154.* etiamsi initio mensis septimi natus sit. *l. 3. §. f. de suis & legit. her.* Neque obstant verba in Landrecht *lib. 1. art. 36.* **Wenn ein Weib, ehe die Zeit kömmt, gebieret, so mag man solches frühe Kind an seinen Ehren schelten, das ist, für unehrlich halten. Also auch wann ein Weib nach ihres Mannes Todt Kinder gewinnet, mag man solch Kind auch schelten, wann es zu späte gebohren ist.** Nam exinde contra partum septimestrem inferri nihil potest: loquuntur enim illa de nativitatis tempore minime legitimo. Mensis autem septimus ex omnium Medicorum ac Philosophorum sententia tempus est legitimum, & perfectum eum Hippocrates (quem numeris multum tribuisse, certum est) probabiliter ideo censuit, quoniam nascitur sub sydere Lunæ, vitæ humanæ compatibili & participavit de natura & qualitatibus omnium Planetarum. Grill. *q. 13. de sortil. n. 5.* Septenarius enim numerus

magnæ religionis apud priſcos fuit & virginitatis opinio ei (utpote qui duplicatus nullnm ex ſeſe pareret numerum, qui intra denarium, primum numerorum limitem coarctaretur) usque adeo inolevit, uti Pallas quoque vocitaretur, quia perinde atque Minerva uno duntaxat parente nata, ſolius Monadis fœtu proceſſiſſe exiſtimaretur Macrob. *l. 1. c. 6. in ſomn. Scip.* Demonſtraverunt vero ſeptem menſium numerum veteres diverſi modo. Vel enim ponebat duos numerorum omnium primos cubos a pari octonarium, ab impari vicenum ſeptimum, hunc marem, illum vero fœminam ſalutantes. Coëuntibus iis, quinque & triginta contexi, aperta ratione conſtat, hæcque ſexies multiplicata decem & ducenos (qui dierum numerus ſeptenum procul dubio menſem claudat) concreari in confeſſo eſt.

Tabella, quæ continet numerorum ſimplicium cubos, eſt hæc:

Radix.	R.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
Quadrat.	Q.	1.	4.	9.	16.	25.	36.	49.	64.	81.
Cubicus.	C.	1.	8.	27.	64.	125.	216.	343.	512.	729.

$$\begin{array}{r} 8 \\ 27 \\ \hline 35 \\ 6 \\ \hline 210 \\ 30 \end{array} \Big| \, 7$$

Vel ſic: Triginta diebus afformationis ſexaginta dierum ſpatium (illis duplum) additum, nonaginta dierum numerum implet. Quo dierum numero puerperium movebitur. Gui ſi centum & viginti dierum tempus (ſexaginta dierum tractus duplum) adjiciatur. Menſium ſeptem numerus exurget.

30	60	90	
60	2	120	210 | 7
			30 |
90.	120.	210.	

Hæc & alia talia invenies apud Ludov. Banaciol. *ennead. mul. c. 5. quo mensium numero, quo ord. part. ed.* Notandum tamen, eos saltim fœtus naturaliter egressum septimo mense affectare, qui, ut Avic. habet *lib. 3. Fæn. 21. tr. 2. c. 1.* sunt fortis creationis & complexionis, quorum creatio velox fuit & quorum petitio ad exitum fuit velox Sennert. *I. Med. l. 1. c. 10. de gen. op. T. 1.* Male itaque antiqui juxta Festum partus septimestres nominarunt exterricineos seu exterraneos, quippe quos mater vel exterrita vel alia causa gravi impulsa quasi ejiciat. Hoboken. *Spicil. ep. 4. p. 86. & seq.* Taxandus quoque hoc nomine Gerhardus, Holsatiæ Comes, qui novellam conjugem, Annam, Marchionis Badensis filiam repudiatam in patriam remisit, quod septimo mense pepererat. Zeil. *cent. 1. ep. 78.* Non negamus tamen, esse hos partus rarius vitales & ut plurimum debiliores.

Th. XIV. Partum OCTIMESTREM non esse vitalem, nisi in Ægypto, putat Arist. *l. 7. de N. A. c. 4. in med.* & Plin. *l. 7. H. N. c. 5. pr.* Unde fieri, ait ille, ut si quis servetur, non octavo mense natus existimetur, sed mulierem conceptus sui initium latuisse, adeoque mense octavo natos non solum non vivere, sed etiam matribus periculum mortis creare; junge Dd. *in l. Gall. 29. de lib. & posth.* Paul. Zacch. *qq. Med. leg. l. 1. t. 2. q. 3. n. 63.* eosdem a morbo aut præternaturali quadam vi expelle in lucem somniat. Et Gellius *l. 3. N. A. c. 15. circ. fin.* memorat, Romæ accurate hoc atque sollicite quæsitum, negotio

gotio

gotio non rei tunc parvæ postulante, an octavo mense infans ex utero vivus editus & statim mortuus jus trium liberorum supplevisset; cum abortio quibusdam, non partus videretur mensis octavi intempestivitatis. Verum hi refelluntur experientia, falsum enim est, ipsos omnino non vitales esses, quod si enim septimestres sunt vitales, tanquam minus maturi, cur non octimestres quoque tales sint, qui non minus perfecti & prorsus maturiores illis ipsis sunt. v. D. Wedel. *in physiol. sect. 3. c. 31.* Et ergo quia magis formati atque calore prædici vegetiori, cum sint propinquiores mensi nono & decimo; in confesso est, non posse haberi pro illegitimis Moller. *lib. 3. sem. c. 28 n. 10.* Ceterum cur partus octimestris superstes manere non soleat (ex hypothesi scil. dissentientium) rationem vide apud Hippocr. *de octim. part.* quam refutat D. Wedel. *d. l.* add. Zach. *quæst. Med. Legal. lib. 1. tit. 2. q. 4.* Illud tamen non inficiandum, partum septimestrem ab octimestri discerni vix posse, quia partus septimestres sunt omnes ejusdem roboris & multi vi curatæ educationis pinguiores octimestribus. D. Amm. *resp. 24.* Imo partus, qui judicatur octimestris, potest esse septimestris adeoque legitimus. Nam sæpe mulieres ipsæmet in tempore & momento conceptionis falluntur, quidni alii nuptiarum observatores? Hinc apud nostrates partus octimestris omnino legitimus annumeratur. Carpz. *P. 4. C. 27. def. 14.* & Idem *lib. 2. Jurispr. Consistor. tit. 13. def. 226.*

Th. XV. Quod NONO MENSE editum atinet, isomnium sententia prævalet & est usitatissimus & reputatur pro perfectissimo, etiamsi nonus mensis sit affectus. Zacch. *l. 1. t. 2. q. 5. n. 14.* Hinc Judæi partum, qui novem mensibus in utero non manserat, pro abortivo

habu-

habuerunt, usque dum diem transegisset trigesimum & qui eum intra dies 30. occidisset. eo nomine minime morte plectebatur- Seld. *l.* 4. *de J. N. & G. Eb. c. 1. post pr.* Scilicet probe perspectum ipsis erat, in hoc mense fœtum bene valere, & viribus sufficientibus dotari, & temperamento calidiore existere, ut plurimum ex utero egredi, non solum quoad nutrimenti quantitatem & membrorum formationem & fortitudinem, sed etiam quoad omnes, quas & ad esse & ad bene esse requirit, conditiones absolutissimum. Paul. Zacch. *l. 1. qq. Med. Leg. tit. 2. q.* 5. Quomodo autem menses novem in filiorum nativitate considerentur & quod filius dicitur natus nono mense, dnmmodo de novem lunis tetigerit duos dies ultimæ lunæ in ventre matris, ostendit Bursat *l. 1. Cons. 63. n. 2.* Notandum quoque maxime frequentissimum partum haberi a die decimo quinto noni mensis ad diem decimum quintum decimi mensis. Sennert. *Inst. Med. l. 1. c.* 9.

Th. XVI. Quid de ulterioribus mensibus judicandum sit, videbimus infra in Capite *de Vidua Prægnante.*

Th. XVII. Tantum de partu; intuebimur ABORTUM, cujus præsagia indagare Physicorum est, qui ad ea referunt, si fœmina partui vicina cavos habeat oculos faciemque subtimidam, si corpus totum ac pedes ejus intumescant, si ei aures & summus nasus albescat & labra livida fuerint: Si lac effluat e mammis gravidæ, atque menstruæ purgationes procedat, si morbo acuto capiatur, cita laboret alvo, vel a coitu sternuerit, Plin. *Hist. Nat. l. 7. c. 6.* si viperam supergressa sit. Adde Bonaciol *enn. multi cap. de prognost. abort.*

Th. XVIII. Quis autem partus dicatur abortivus, haud expeditum est. Nos eum, qui ante septimum mensem, licet vivus tunc temporis, extra ventrem matris emissus sit, per juris dispositionem abortivum censeri asserimus. *arg. l. 12. ff. de stat. hom.* Et quidem cum ipse pariendi actus fiat in occulto, per obstetrices abortus probandus, quæ fuerunt præsentes & viderunt partum exeuntem de ventre matris, aliarum quoque fœminarum maritatarum testimonio jurato in hoc puncto statur. Zeil. *4. q. 35.* Probabitur etiam fœtus abortivus ex eo, quod mulier nulla signa pariendi dederit, quod ea mortua sit, quod partus fuerit cæsus ex utero, nec ipse tentaverit exitum, quod statim perierit.

Th. XIX. Ad probandum vero partum non fuisse abortivum, haud admittuntur ii, quos verisimile est habere affectionem, ut actus efficiatur, veluti si de eorum honore ageretur, ut quia Curatus baptizaverit partum mortuum, Chirurgus exercuerit carnificinam in mortua, Physicus furstra consuluerit, ut matre dissecaretur. Neque matris attestatio sufficit, sed periti sunt adhibendi. Confer. *Vol. 3. Concl. 1146. n. 21.* qui fusius de hoc argumento ibid. agit.

Th. XX. Ultimo non prætereundum, ineffabili Dei benignitate complures abortus averti. Sic taurus 1130. mulierem quandam ex oppidulo Ovv Ducatus Würtenbergici, cornibus sublimen tulit, adeo ut fœtus, qui vix sex hebdomadas vitæ usura fruitus erat, in viam excideret. Chirurgus sustulit eum & ablutum aqua ventri indidit huncque postea consuit. Fœmina tandem justo tempore sanam filiam edidit, quæ octo annis superstes mansit; mater vero anno demum 1559. ex hac vita migravit. Cruf. *Annal. Suev. P. 3. lib. 11. c. 5.*

CAP. IV.

Cap. IV.

De Privilegiis & reliquo Jure Prægnantium singulari, respectu fœtus vel adhuc in utero existentis, vel pro parte editi.

SUMMARIA.

Th. I. Mulier pregnans, qua mortua est, vetatur humari, antequam partus ei excidatur. II. Quoad alia commoda embryo habetur pro jam nato. III. Mater pregnans si conceperit filium, antequam maritus Senatu moveretur, natus, post patris amissam dignitatem, Senatoris filius dici potest. Quid si fœmina gentilis gravida proselyta facta esset? IV. Fœtus, donec nascatur, pars viscerum mulieris dicitur, & nomine juris pertinentiarum accedit matri vendita. Si ancilla pregnans, à fure surrepta, pariat, num partus usucapi possit? V. Q. an baptizari possit partus nondum editus, sed totaliter adhuc in utero matris existens? Quid, si appareat pro parte, possit baptizari? VI. Fit transitus ad alia. Fœmina gravida pro debitis non debent incarcerari. VII. Hostis parcat pregnantibus. Excipitur casus. VIII. Pregnans torqueri nequit. IX. Ne quidem post partum editum, nisi elapsis 40. diebus. X. Judex pregnantem dolo malo torquens homicida est. Non vero tenetur, si sit secutus judicium Medicorum asseverantium,

mulierem non esse gravidam. XI. Prægnans terreri non potest. XII. Vicina partui non potest relegari, inprimis, si iter sit longum. XIII Non potest puniri pœna corporis afflictiva, sed gaudet privilegio dilationis. Quid moribus nostris obtineat, refertur. XIV. Ad mortem condemnata, itidem gaudet dilatione. XV. Si mulier prægnans sit condemnata ad mortem, executio, secuto partu, non differtur. XVI. Prægnans bannita non potest interfici. XVI. Filia prægnans in adulterio deprehensa non potest occidi a patre. XVIII. Prægnantem dolose occidens aut saltem verberans gravius punitur. Quænam pœna in veteri Testamento fuerit. Referuntur quarundam gentium pœnæ in occisores gravidarum statutæ. Quomodo puniatur, qui per culpam occidit garvidam. XIX Gravidæ non coguntur jurare aut testimonium ferre invitæ. Ponuntur fallentiæ. XX. Gravidis quandoque remittitur juramentum. XXI. Prægnans votum, si quod fecerit, differat. XXII. Sacerdos non debet prægnanti imponere pœnitentiam peregrinationis seu abstinentiæ. XXIII. Si prægnans accusaverit, non præsumitur calumniari. XXIV. Mulieribus partui propinquis sacramentum eucharistiæ administrari permittitur tempore interdicti, quo, in terris religionis Pontificiæ, personæ interdicuntur a celebratione divinorum. XXV. Pannones, Persarum Reges & Carthaginenses gravidas in magno honore habuerunt. Quid Eslingæ hodie obtineat? XXVI. Q. An mulier molam gerens privilegiis prægnantium gaudeat? Distingu.

Th. I.

TEmporibus partus & natura abortus investigatis, FOETUM contemplabimur, qui in rerum natura esse existimatur ad eum effectum, ne quis eum vita defraudare queat. Hinc vetatur mulier prægnans, quæ mortua

mortua est, humari, antequam partus ei excidatur, ne contra faciens spem animantis peremisse videatur. *l. 2 de mort. infer.* refert enim Valer. M. *l. 1. c. fin.* Georgiam, quendam Epirotam in funere matris suæ utero elapsum & inopinato vagitu suo lectum ferentes consistere coëgisse: Gorgiam ante elatum, quam natum fuisse.

Th. II. Idem embryo quoad alia commoda habetur pro jam nato. *l. 7. de suis & leg. her.* & æstimatur esse animal, ut *l. 1. §. 8. in f. ff. unde cogn.* Hinc si ancilla prægnans manumissa erat, deinde ancilla postea facta pepererat, partum tunc liberum nasci, legibus sancitum: quod sufficere fœtui videbatur liberam matrem medio tempore, e. gr. gestationis habuisse. *p. Inst. de ingen.*

Th. III. Exinde etiam promanat, quod mater prægnans si conceperit filium, antequam maritus Senatu moveretur, tunc natus post patris amissam dignitatem Senatoris filius dici possit. Et apud Judæos si fœmina gentilis gravida proselyta facta esset, proles ipsius maternam ita sequebatur conditionem, ut baptismo ei opus non esset. Seld. *l. 2. c. 4. de J. N. & G. Ebr.*

Th. IV. Est tamen fœtus, donec nascitur, pars viscerum mulieris, *l. 1 §. 1. de vent. inspic.* Hinc nomine juris pertinentiarum accedit matri venditæ. *l. 83. §. 4. de leg. 1. & l. 73. de leg. 2.* D. Kraut. *disp. de Jure pertinent, c. 4. §. 19.* Et si ancilla prægnans a fure surrepta sit, vel partus penes furem conceptus fuerit, tunc id, quod natum fuit, usucapi non potest per *l. pen. de stat. hom. l. 48. §. 5. de furt.* quia tempore surreptæ matris jam in bonis furis fuit. *l. 44. §. 2. de usucap.* ne quidem per successorem universalem propter vitium defuncti. *l. 11. §. de publ. act.* Ast si apud tertium partus fuit conceptus & editus, qui emit ancillam bona fide, nesciens furtivam esse, tunc

bene poteſt uſucapi, licet poteſt mortem matris ventre exſecto extractus ſit. *l.11.* § *3. eod t.* Et dicitur tunc ille partum poſſidere pro ſua. Bald. ad *h. l.*

Th. V. Q. Hic incidenter: *An baptizari poſſit partus nondum editus, ſed totaliter adhuc in utero matris exiſtens?* *Negamus* per *c. qui in maternis. 115. de conſecr. d.* 4. Nemo enim renaſcitur, niſi prius naſcatur, uti ex Auguſtino deducit Ludov. Dunte *in Caſib. Conſc. t.* von Sacrament der H. Tauffe. *q. 23.* præterea baptismus debet adminiſtrari iis, qui verſantur in gremio Eccleſiæ. Alſted. *cap. 50. caſ. conſc. 18.* Quid vero *ſi apparet pro parte, extra poterit baptizari?* Putant quidam, quod ſic, ſi pars principalis appareat, puta ſi caput fœtus habeat extra uterum *arg. l. 44. de rel. & ſumpt. fun.* licet membra alia adhuc ſint recluſa, ſi periculum ſubſit de morte ipſius, ita ſentit Angel. de Peruſ. *in l. vulgaris n. 2. de furt.* quia parte corporis principali baptizato, totus homo baptizatus eſſe dicatur: Alii tenent quod ſi pes vel manus appareat, quod tunc debeat baptizari, ita tamen, ut natus poſtea rebaptizaretur: cujus opinionis autorem Angel. de Clavaſ. *cap. Baptism. c. 6. q 3.* profitetur Landulphum. Nos adſtipulamur Gl. *in c. ſi ad matris* 114. *de conſ. di. 4.* dicentes, non poſſe baptizari. Ratio eſt, quia qui non eſt perfecte natus, non poteſt dici homo *l. pen. C. de poſth. her. inſt.* ubi oportet, ut ſit totus natus, ut quis dicatur poſthumus. Q. *ſi fœtus non ex aliquo appareat ab extra, an mater ſit aperienda? Neg.* quia non ſunt facienda mala, ut eveniat bonum. Secus ſi jam eſt mortua.

Th. VI. Hisce ita pertractitis, alia privilegia, quæ ex commiſeratione erga partum proveniunt, perluſtremus. Scilicet Fœminis gravidis quoad incarcerationem

tionem pro debitis parcendum. Manz *patrocin. debit de paup. dec. 1. q. 7. n. 74.* imo nec ob maleficia includi carcere debent, ubi frigore affliguntur carceratæ, manicæque ferreæ & ferrei compedes circumponuntur. Natt. *Conf. 319. n. 3.* etiamsi consuetudo esset in contrarium, quod etiam mulieres incarcerentur, vel mulier infamis aut impudicam vitam agens ad instar viri in carcerem vel aliam custodiam mitti possit per *l. 3. de custod. reor.* etiam pro civili debito. *Auth. Hodie novo jure C. eod.*

Th. VII. Hostis, qui, quod fas & pium est, volet respicere, mulieres imbelles, præcipue prægnantes clementer habeant in expugnationibus urbium. Grot. *l. 3. c. 11. §. 9.* Seld. *de. J. N. & G. Eb. l. 6. c. 16.* quod Deus quoque genti suæ oculissimæ inculcavit *Deut. 20. v. 14.* quia sunt personæ innocentes, infortuniumque matrum hac ratione ad fœtum etiam pervaderet, propterea merito hoc jure gaudent, tanquam in singulare solatium. Huc spectant verba in Maximiliani II. Articuls-Brief *art.* 8. Swangere Frauen sollen die Knechte beschützen, beschirmen und in keine Wege beleidigen. Wie auch in den Holländ. Kriegs. Recht *art. 4.* Dafern einer schwangere Frauen schlagen, stossen oder ihnen dräuen würde, soll er ohne Geld oder Paßport abgedancket oder nach Befindung der Umstände willkührlich gestrafft werden: rationem ibi Pappus von Tratzberg subdit, weil grosse Gefahr dabey ist, wenn schwangere Weiber geschlagen oder gestossen werden, daß solches nicht eine Mißgeburth verursache. Patet exinde, male fecisse Doegum, Edomitam, qui in direptione oppidi Nobes fœminas cum infantibus adhuc de uberibus matrum pendentibus nefarie trucidavit *1. Reg. 22. v. 19.* Sic Menahemum, Regem Israëlis Tiphsanam urbem, quod cives ipsum transitu prohiberent, capientem prægnantes omnes indigna nece effecisse, non

sine

fine horrore legimus *4. Reg. 22. v. 19.* Similiter Horat. *l. 4. Od. 6.* de Achille:

> *Nescios fari pueros Achivum*
> *Ureret flammis, etiam latentes*
> *Matris in alvo.*

Vehementer perstringit sævitiam Achillis, qui si per Apolinem vivere licuisset, tanta crudelitate erat, ut nec infantibus nec in utero gestantibus pepercisset. Ebener Massen haben die Spanier im Jahr 1567. den 4. Jun. in Clevischen Landen, zwischen Deventer und Sutphen einen Mann und seine Frau, welche gleich schwanger gewesen, von wegen der Bekentniß des Evangelii, aufgehencket, nachdem aber das Weib schon 4. Stunden gehangen, sind von ihr 2. lebendige Söhne auf die Welt gebracht worden. D Cunr. Dietr. *Sapient. Part. 1. Conc. 5. sup. c. 3.* apud Schneideri Titium Continuatum *lib. 27.* von Ehestande. *p. 1671.* Si tamen quoque modo hosti suppetias tulerint, non parcendum. Præterea si in arce aliqua nonnullæ prægnantes inveniantur, propter ipsas oppugnatio castelli, si justa sit causa, intermitti nequit, dum ergo personæ insontes petuntur, hoc fit per accidens & oppugnatores sunt excusati. Balduin. *l. 4. Cas. Consc. c. 12. cas. 12.*

Th. VIII. Prægnans torqueri non potest, nisi post editum partum *l. prægnantis. 3. ff. de pœn.* Paul. *rec. sent. l. 1. c. 12. §. 5.* Clar. *Pract. Crim. §. fq. 63. n. 23.* Brunnen, *ad. ff. l. 18 de St. hom.* etiamsi sit ancilla. Guid. de Suzar. *de torm. c. 2. n. 11.* etiamsi sit prægnans ab alio, quam a marito *l. Et servorum 5. §. pen. de St hom.* semen enim hominis, ex qualicunque homine, Dei creatura est ac propterea custodiendum. *c. undecunque. 3. dest. 56.* etiamsi in carcere concepisset fraudulenter & dolose, causa evitandæ torturæ. Bald. *ad l. 13 ff. de stat. hom. lat. 1. rel. 2.* Jadoc. Damhoud. *Pr.*

Crim.

Crim. c. 41. *n.* 6. Ratio est, quia fœminæ prægnantes utplurimum infirmæ & debilis sunt constitutionis, adeoque ob tormentorum dolores facillime damnum vitæ sentire possunt *arg. l.* 14. §. 2. *ff. de ædil. ed.* vid. Matth. de Afflict. *in Const. Neap. tit.* 23. *n.* 11.

Th. IX. Ampliatur, quod ne quidem post partum editum nisi elapsis 40 diebus Ludov. Gilh. *Jud. Crim. c.* 5. *ramusc.* 2. *n.* 40. quia propter corporis imbecillitatem, infra id tempus posset mori, debet ergo expectari, donec sit fortis ad torturam. Hippol. de Marsil. §. *nunc videndum. n.* 47. Grill. *de tort. c.* 6. *n.* 4 Ita responderunt Scabini Hallenses mense Decembri 1662 an Andreas Kehlen, Richtern zu Burg. Was aber Rebeccen, Peter Puschens Tochter betrifft, so wird die scharffe Frage, weil sie schwangers Leibes ist, biß so lange sie ihrer Weiblichen Bürde entlediget, und des Kindes genesen, auch die 6. Wochen um seyn, billig eingestellet, und hernach dermassen verrichtet, daß, auf den Fall sich ihr Kind selbst nehret, demselben an der Nahrung kein Abbruch geschehe. V. R. W.

Th. X Quod si judex dolo malo tormentavit prægnantem, puniendus est arbitrarie, juxta personæ qualitatem. Farinac. *de Indic. & tort. q.* 14. *n* 98. quia est homicida. Bald. *ad l.* 18. *de stat. hom. lat.* 1. *rel.* 1. Non vero tenetur, si posuit eam in tortura, quæ ob id fecit abortum, quando Medicus illam non prægnantem asseruit Farinac. *ib. n.* 85. Sed fecit judex, quod sui fuit officii, cum dubitans, an mulier esset prægnans, consuluit obstetrices & Medicos, qui de credulitate deposuerunt super mulieris prægnantia, quandoquidem fœminæ se gravidam dicenti, ad effugiendam torturam, nullatenus creditur, nec mulier confessione sua eo tempore, in tortura, facta sibi præjudicat. *arg. l* 10. *de quæst.* Bald. *in l.* 18 *de St. hom la.* 1. *rel.* 1. Marsil. *in pract.* §. *nunc videndum. n* 48.

Th. XI. Mulier prægnans, quæ cum dolore torqueri nequit, ne territione quidem reali, quæ fit, quando rea, ad locum torturæ, per carnificem ducitur & funibus alligatur, absque elevatione tamen corporis, terreri poteſt. Anton. Gomez. *var. reſol. tom.* 3. *c.* 13. *n.* 4. Proſp. Farin. *l.* 1. *q. Crim. t.* 5. *n.* 84. quia prohibito uno, cenſentur omnia prohibita, per quæ pervenitur ad illud. Quare cum per territionem & præparatoria torturæ perveniri ſoleat ad ipſam torturam, idcirco ſicuti in muliere prohibita eſt tortura, ſic prohibita etiam eſt territio, beneficio alterius, ob periculum partus, quia ex terrore & communicatione facile poſſet ſequi abortus.

Th. XII. Vicina partui non poteſt relegari ſeu confinari. Brunnem. *ad l* 18. *de St. hom.* ſed differtur executio, ſi fuerit condemnata, donec pariat, ut ne ex hoc partus patiatur detrimentum. Scilicet ſi procul ſint confinia, ſi iter aſperum ſit ſubeundum aut ſalvo ventre ex regione, ultra quam releganda, haud migrare queat. Facile enim poſſet partum deponere in itinere. Marſil. § *opportune n.* 6.

Th. XIII. Non poteſt puniri pœna corporis afflictiva. Bart. *ad l.* 7. *de St. hom.* ſed gaudet privilegio dilationis. *l.* 18. *de St. hom.* nedum intra 40. dies, dum decumbit, ſed etiam poſt, donec nutrix filio reperiatur. Port. *in* §. *promiſſum n.* 7. *Inſt. de tutel.* Si pati debeat amputationem membri, aut ictus fuſtium. Quod ſi non reperiatur nutrix, propter defectum pecuniæ, debet ſolvi pecunia ex publico, adeoque non differri executio, *arg. l.* 1. *C. pro quibus cauſ. ſervi pro præm. lib. accip.* ſecus ſi propter defectum perſonæ. Moribus noſtris ſi pœna fuſtigationis mulieri, per paucas ſeptimanas, prægnanti dictanda veniat, minime differenda executio, cum moderatione tamen fuſtiganda, ne is, qui in utero eſt, lædatur. Richt. *p.* 1. *dec.* 7. *n.* 3.

n.3. in f. Sin ad medium pariendi tempus pervenerit, wann sie über die Hälffte ist, tunc merito fustigatio differenda, ne abortio contingat. Dn. D. Bechman. *de privil. mul. th. 58.* & præterlapsis demum 6. septimanis executioni mandanda. Phil. *lib. 1. Inst. Ecl. 36. circ. fin.*

Th. XIV. Quod si ad mortem mulier sit condemnata, gaudet itidem prægnans dilatione supplicii. Covarr. *l. 4. var. res. c. 4.* quia filius, pro matre, puniri non debet, cum pœnæ personam non egrediantur. *l. crimen vel pœna. 26. de pœn.* add. Hieron. Giachar. *ad Jul. Clar. Pr. Crim. q. 63. n. 23.* & Grot. *l. 2. c. 21. §. 14. in f.* Et sic vivit alieno beneficio, quæ secundum se debeat mori, habeturque per alium, quod non potest per se ipsam. Hoc a Græcis quibusdam legislatoribus, ex Ægyptiorum lege, transcriptum fuisse tradit. Covarruv. *d. l.* ex Plutarcho *de sera Numinis vindicta c. 16.* & Diod. Siculo *lib. 2. c. 3.* ac exemplo illustrat Ælian. qui *l. 5. var. hist. c. 18.* memorat, Judices Areopagitas, Athenis veneficam mulierem deprehendentes non prius ipsam interemisse, quam partu liberaretur. Quo magis culpandus venit Claudius, Imperator, qui ne quidem prægnantium supplicio abstinuit. Brisson. *2. antiqu. 20.* apud Schönborn. *3. Pol. c. 20. num. 2.*

Th. XV. Notandum tamen, si ad mortem mulier prægnans sit condemnata, executionem, secuto partu, non differri, quia non expectandum, ut in casu *th. 13.* proposito, donec mulier fiat talis valetudinis, ut absque periculo illam pœnam possit pati. Thom. Act. *de infirm. P. 2. vers. Executio. n. 2* Ita Scabini Hallenses versus Hedersleben an Michael Engeln, Gräfl. Mansfl. Schösser, eod. mense & anno, quo supra: Hat Inquisitin, Gertraudte Pabstin in Güte bekandt und gestanden, daß sie mit ihren leiblichen Vater sich fleischlich vermischet und Blutschande getrie-

getrieben, 2c. Da sie nun auf solchen ihren gethanen Bekäntniß freywillig, vor Gerichte, verharren, oder des sonsten, wie recht, überwiesen würde, so möchte sie, wegen solcher begangenen und bekandten Blutschande, mit dem Schwerdt vom Lebem zum Tode gestraffet und gerichtet werden, es wird aber mit der Execution solcher Todes-straffe, so lange biß ihrer Leibes-Bürden entbunden, billig in Ruhe gestanden, V. R. W.

Th. XVI. Mulier prægnans *bannita* non potest interfici; quia nocens, propter innocentem, servari debet, licet enim banniatur mulier prægnans, partus tamen non est in banno. Bald. *ad l. 5. §. ingenui. rel. 2. de stat. hom.* quia banna, quæ dantur nascituris, non procedunt secundum rationem, eo quod, qui non sunt in rerum natura, nec esse possunt ingrati *l. si quis suo. 33. & legis. 1. C. de innoff. test.* itaque occidens eam tenetur de homicidio. Vivius *in opin. 770. n. 19.* Bajard. *in annot. ad Clari Prax. Crim. §. homicidium. n. 224.*

Th. XVII. Filia prægnans, in adulterio deprehensa non potest occidi a patre, quia habet dilationem a lege, donec pariat *l. 3. de pœn.* & etiamsi pater non sit homicida propter criminis flagrantis impetum, quia si differret, non posset postea ex intervallo occidere, aliqualiter tamen, propter partum, puniendus venit *arg. l. Gracchus. 4. C. de adult. l. si adulterium. 38. §. fratres. 4. ff. eod.* quia videtur modum excedere *arg. l. 1. c. unde vi.* vid. Bajard. *in annot. ad Clar. §. homicidium. n. 167.*

Th. XVIII. Prægnantem dolose occidens aut saltim verberans gravius punitur, quam aliam lædens. Sic apud Judæos, Noachides sive gentilis, si fœtum in utero matris occidisset, ultimo supplicio afficiendus erat; quoniam scilicet mortis in causa fuerat, Seld. *l. 4. c. 1.*

circ. fin. ſed diverſum erat jus, ſi Iſraëlita tale quid feciſſet. Quod ſi enim contendiſſent viri & offendiſſent mulierem prægnantem, ut egrederetur fœtus ejus, & non fuiſſet exitium, puniendo puniebatur, ſecundum quod illi imponebat maritus, dabatque juxta judicium ſententiam. Compenſatio autem damni marito hinc illati æſtimabant ex detrimento, quod uxoris corpori inde eveniret, ſeu juxta id, quod uxoris pretio, ſi ancilla eſſet, inde decederet, huic etiam acceſſere mulctæ forenſes ipſi fœminæ præſtandæ. Quod ſi mulieri exitium inde natum eſſet, dabatur anima pro anima. *Exod. 21. v. 22. & 23.* In legibus Salicis, qui gravidam ingenuam verberaverat, ſi mortua illa eſſet, culpabilis judicabatur 28000. denar. qui faciunt 700. ſolidos Et qui infantem in utero matris occiderat, 8000. denar. qui faciunt ſolidos 200. In legibus Wiſigothorum mulierem gravidam necans moritur: ſi formatum infantem excuſſerit, 205. ſolidos reddit; ſi informen, centum, ſi ingenuus ingenuave ſit delinquens: nam in ſervis flagellorum ictibus abortus vindicatur. Tholoſ. *Synt. Jur. Univ. l. 36. c. 15 n. 21.* Culpoſum vero homicidium committit, qui citra animum occidendi mulierem percuſſit, ex qua tamen percuſſione illa mortua eſt, cujus rei ut plurimum ſolet ſumi conjectura ex genere armorum vel inſtrumenti, cum quo illata fuit percuſſio, puta ſi cum baculo, prout contigit in illa muliere, quæ percuſſit baculo ſuper capite ancillam, quam credebat eſſe ex viro ſuo prægnantem, ex qua percuſſione iſta deceſſit & illa fuit per conſilium Neapolitanum deportata per ſeptennium in Inſulam. *Clar. ſent. lib. 5. §. homicidium. n 5.*

Th. XIX. Gravidæ non coguntur jurare aut teſtimonium ferre invitæ in judicio. *arg. l. 2. §. 4. ff. ſi quis*

 caut.

caut. in jud. Bald. *ad l. inviti. 8. ff de test.* ita ut teneantur comparere personaliter in judiciis, si sunt propinquæ partui; quia est timor, ne pereant in via. Marsil. *in Pract. Crim.* §. *nunc videndum. n. 49.* Sed mittere debet judex Notarium ad earum domum, ut jurent atque deponant. *arg l. ad personas 15. ff. de jurej.* Seb. Med. *de Cas. fort. P. 2, q. 6. n. 68.* Fallit (1.) quando mulier prægnans esset rustica & valens, ut eo tempore portet onera. Bajard. *ad Clar. Pr. Crim. q. 64. n. 75.* Fallit (2.) in meretrice prægnante, quia vilitas vitæ non meretur legum laqueis innodari. *l. 29. C. de adulter.* Fallit (3.) in gravidis paucorum dierum.

Th. XX. Gravidis interdum juramentum remittitur, quod credantur magis memores esse æternæ salutis. Brunn. *ad l. 18. de St. hom. n. ult.*

Th. XXI. Prægnans votum si quod fecerit, differre debet, donec impedimentum cesset. *arg. c quod super his, 8. §. 1. X. de vot.* neque servare, si salus corporalis exinde amittatur: nec votum, quod peregrinari velit nuda tempore hyemis.

Th. XXII. Sacerdos non debet prægnanti imponere pœnitentiam peregrinationis seu abstinentiæ. Marian. Socin. *ad c. 2. X. de his qui fil. occid. n. fin.* Excusatur enim a jejunio rationabiliter, propter appetitum extraneum ac nutrimentum fœtus, alias ipsi vel fœtui periculum accresceret. Zeil. *cent. 4. q. 39.* Hinc optime Thomas apud Angel. de Clav. in Sum. *c. de Jejun.* §. *15. in fin* subtractio cibi per jejunium, si impediat ea, quæ necessaria sunt ad agenda, quibus quivis ex societate vel officio tenetur, non est licita, sed rapina dicenda.

Th. XXIII. Si prægnans accusaverit, non præsumitur calumniari, si accusationem non probet. *l. 1. §. 10.* *versic.*

versic. at quin. ff. ad St. Turpil. Ipsa enim memor æternæ salutis magis est credenda.

Th. XXIV. Mulieribus prægnantibus propinquis partui, sacramentum Eucharistiæ administrari permittitur tempore interdicti, quo in terris religionis Pontificiæ, personæ interdicuntur a celebratione divinorum & perceptione sacramentorum, quoties periculum mortis, inspecta earum qualitate, maxime timeri potest, quasi hac specie par ratio sit mulieris prægnantis & ejus, qui gravi ægritudine affectus, mortis vicinus censetur. Panormit. *c. quod in te. 11. de pœnit. & remiss.* Angel. *verb. Interd. cas. 6. §. 24.* Covarr. *Tom. I. P. 3. Relect. c. alma mater. § 3. de interd. Eccles. num. 2.* adeoque possunt absolvi ab excommunicatione. Med. *de cas. fort. P. 2. q. 6. n. 68.* vid. Dn. Præses *in Differt. de pœnitent. ecclesiast. cap. 3. n. 27. & seqq.*

Th. XXV. Pannones olim in tanto honore gravidas habuisse, ut quicunque obviam fieret ipsis, easdem in platea deduceret, tradit Guev. *hor. Pr. lib. 2. c. 16.* Persarum Reges mulieribus singulos aureos, prægnantibus duplices dabant. Alex. *48. apud* Guev. *d. l.* Sic ex amici relatione percepimus, Eslingæ in Suevia finita vindemia quemlibet a Senatu mensuram vini quotannis dono accipere, prægnantem vero duas. Carthaginenses denique in more positum habuere, ut homicidæ ad gravidam confugientes eamque prehensantes jus asyli consequerentur. Id. Guev. *d. loc. circa fin.*

Th. XXVI. *An mulier molam gerens privilegiis prægnantium gaudeat?* Distinguit Paul. Zacch. *in quæst. med. legal. l. 1. t. 3. q 7. n. 7 & seq.* inter molam solam & inter molam cum conceptu. Si mulier solam molam, absque vero fœtu, in utero habuit, non gaudet illis privilegiis,

legiis, quibus leges insignierunt matres non tam ratione molestiarum, quam ratione ipsius fœtus, cujus præcipuam miserationem habuerunt, ne ex dolore matris pereat. Secus est in muliere, quæ cum mola fœtum gerit.

CAP. V.

De

Sponsa prægnante.

SUMMARIA.

Th. I. Sponsa gravida consideratur vel ex sponso, vel ab extraneo. II. Clandestina sponsalia per impraegnationem faciunt matrimonium. III. Respondetur ad dubia. Agitur ibi de clandestinis sponsalibus sequuto concubitu, propter dissensum Parentum, quandoque rescindendis. IV. Si puella compressa ex sponso se gravidam asserat, sponsus vero inficietur se promisisse matrimonium, reo potest imponi juramentum purgationis. V. Publica sponsalia contrahens, & sponsam impraegnans eam vel invitus ducere tenetur. VI. Si sponsus, qui impraegnaverat sponsam, detrectet consummare matrimonium & aufugiat, quomodo procedendum. VII. Si clandestina & publica sponsalia concurrant, & prioribus accesserit concubitus, utra praeferenda? VIII. Si bina publica concurrant & posterioribus concubitus supervenerit, num priora praeferenda? IX. Si prioribus concubitus, posterioribus benedictio sacerdotalis accesserit, quaenam praeferenda? X. Si quis duabus conjugium promiserit, sponsalibus publice contractis, atque utramque impraegnaverit? XI. Proponitur Casus, ubi quis

quis promiserat unam ex tribus sororibus uxorem ducere, & unam impraegnaverat, quaenam pro sponsa sit habenda? XII. Sponsalia conditionata, per impraegnationem, in matrimonium transeunt. XIII. Personae desponsatae, ante hierologiam in venereos amplexus ruentes, poenam incurrunt. Quibus ceremoniis personae, quae insciis Parentibus mixturam corporum fecerunt, post conjugii ritibus initiari cupiunt, copulandi sint a Pastore, tractatur remissive. Q. quid operetur conditio, si quis dixerit: Ducam te, si ex me gravida facta fueris: nam explorare volo, utrum sterilis sis? XIV. Quid, si sponsa ex alio, quam ex sponso impraegnata sit? Referuntur mores quarundam gentium detestabiles. XV. Deflorata, quae se pro virgine gerit, potest a sponso repudiari. XVI. Poena impraegnatae pro virgine se venditantis quaenam sit? XVII. Quaenam poena sit, si vitricus impraegnaverit privignam. XVIII. Si sponsus sponsam praegnantiae insimulet, nec ea tamen appareat, repudium non permittitur. XIX. Proponitur casus. XX. Si sponsus ante benedictionem sacerdotalem cum sponsa consueverit, quae ex alio gravida cognoscitur, num invitus eam retinere cogendus sit? XXI. Non potest sponsa puniri a Magistratu, neque repudiari, si sponsus ipsi condonet delictum vel expresse vel tacite. XXII. Si sponsa sit honesta persona, & vi rapta fuerit post sponsalia, an possit repudiari? XXIII. Utrum contrahens cum aliqua sub conditione: Si te invenero virginem, licite agat? XXIV. Qui ab alio impraegnatam, nihil obstante praegnantia, ducere vult, Sponsaliorum complementum suspendat, donec foetum enixa sit mulier. XXV. Refertur insolens factum Francisci Sfortiae, Injubrum Principis.

Th. I.

HActenus pertractavimus ea, quæ toti prægnantium ordini promiscue competunt, jam ad varias prægnantium species descendemus, in quibus primum omnium nobis occurrit SPONSA PRÆGNANS. Fit enim sæpenumero fato nescio quo, ut fœminæ sanctissimi conjugii adyta nondum ingressæ, per impatienti desiderio effigiem sui in liberis expressam videndi, duce inexplebili libidine, festinato concubitu famam denigrent, & sic suæ stolidæ petulantiæ pœnas debitas luant. Illa vero, quam memoravimus modo, sponsa spectatur prout existit vel ex sponso gravida, vel ex tertio sive extraneo.

Th. II. Quantum concernit gravidam ex sponso, variat iterum considerandi modus: sponsalia enim aut (1.) publica sunt aut clandestina, aut (2.) pura aut conditionata. Clandestina sponsalia dicuntur, quæ absque testibus celebrantur, vel etiam sine parentum consensu ineuntur. D. Mollenbec. *cent. divis. Jur. 42. n. 2.* Et hæc licet alias non sint obligatoria Carpzov. *P. 4 Const. 20. d. 7.* si tamen per imprægnationem sponsæ ea fuerint consummata, matrimonium per præsumptionem Juris & de Jure inducitur. Nec rescindi debet ex parentum dissensu. Idem *d. Const. d. 15.* & *lib. 2. Jurispr. Eccles. defin 60.* ubi tamen *n. 20.* notabilem adfert limitationem. Kirzel. *de matrim. c. 4 theor. 5. lit D.* Huc spectat præjudicium Jenensium apud Dedeken. *Vol. 3. Consil. Theol. l. 2. de sponsal. s. 6 n. ult.* Wofern solche Personen sich mit einander zuvor nicht verlobet, ob sie schon ihrer heimlichen Verlöbnis, gegen einander, bekäntlich und geständig seyn, daß dennoch solches so ferne unbündig erkant werde, biß beyde Personen solches, durch öffentlich Gelöbniß, vor ehrlichen Leuten, frey-

willig

willig wiederhohlen und bestätigen. So bald nun solches geschehen, ist am rathsamsten, daß solch neu Ehgelöbniß mit öffentlichen Kirchgang zu vollenziehen sie beyde angehalten, und hiermit neben andern, auch fürnehmlichen auf der armen Leibes-Frucht, so in Unehren empfangen worden, Ehr und Glimpf gesehen werde.

Th. III. Non obstat, quod vitiosum per æque vitiosum non possit convalidari. Resp. (1.) respici damnum irreparabile, quod deflorata patitur, vel (2.) cum adsit consensus de nuptiis ineundis, commixtio iterum subsecuta matrimonium inducit, quod hactenus est irretractabile: interim si pater jam ante concubitum dissenserit vel adhuc dissentiendi graves causas habeat, ut, si sponsæ conditio inæqualis sit, præprimis quoad pudicitiam, substantia negotii, id est, consensus eorum, quorum interest, maxime si & sponsus v. g. nunc quidem matrimonium consummare nolit, deficit neque urgetur consummatio, ut didici ex JCti Solidi, Dn. Lynckeri, Patroni atque Præceptoris mei ætatem venerandi *Collegio ad Pandectas dictitato, tit. de sponsalibus: Memb. Effectus sponsal. clandestin.* Et licet concubitu sequuto, parentes, ob dissensum, sponsalia regulariter rescindere nequeant; Possunt tamen esse casus, v. gr. si filia sit philtrata, vel ea parentes splendidi ordinis habeat, imprægnator vero sit vilioris conditionis; vel infamia laboret, vel levis notæ macula notetur, vel vice versa meretrix juvenem natalibus coruscantem in cassas suas libidine pellexerit, concubitu non obstante, sponsalia, propter dissensum parentum, consummari prohibebuntur, quorsum spectat Rescriptum Divi Electoris Saxoniæ apud Carpzov. *lib. 2. Jurisprud. Consist. definit 60. num. 21.* cum exceptionibus, quas ex Bidembach. *de causis matrimonial. q. 1. n. 3.* exponit Zeiler. *cent. 3. q. 12.* in verbis

sequentibus: Wann Kinder, so noch unter Väterlicher Gewalt, sich heimlich verlobet, wann auch schon die Beyschlaffung oder Schwängerung darauf gefolget wäre, besonders, wann das Kind noch minderjährig, sich nach der That, der Eltern Gewalt gehorsamlich unterwirfft, die andere Person unerbar ist, oder andere dergleichen Umstände verhanden sind, werden die Eltern nicht gedrungen, weitere Ursach ihres dissens anzuzeigen, wann sie nur mit Warheits-Grund sagen mögen, ihre Kinder, so noch minderjährig, haben sich ohn ihr Wissen und Willen verwortet, der andere Theil habe solche heimliche Verlöbniß gesuchet, sie wollen die Ihrige zu gebührender Zeit schon ehrlich unterbringen.

Th. IV. Quod si puella compressa, ex sponso se gravidam afferat, sponsus contra inficietur, se promisisse matrimonium, si nullæ probationes aut præsumtiones adsint, juramentum puellæ deferendum non est, ad probationem firmandam. *c. 2. de cland. sponf.* cum sit mulier, i. e. instabilis, sin præsumptionibus gravetur pars rea, juramento se purgare cogitur. Cypr. *de sponsal. c. 13. §. 53.* & ita pronunciarunt Dnn. Jurisconsulti Jenenses teste D. Richtero *p. 1. dec. 8. num. 25.* Daß oben erwehnte Maria Sybilla, wegen der wieder sie streitenden Vermuthungen, auf ihr nochmahliges Verneinen, sich eydlichen, daß sie euch nemlich keine verbündliche Ehe zugesagt und versprochen, zu purgiren und zu reinigen schuldig. Immittels ihr aber vor Erörterung dieser Sachen, sich anderswo mit einem andern, in ein Ehe-Verlöbniß einzulassen nicht unbillig inhibirt und verbothen wird. V. R. W.

Th. V. Circa publica sponsalia notandum, quod si quis talibus contractis, sponsam imprægnaverit, teneatur ducere eam, vel invitus. *c. 30. X. de sponsal.* Carpz. *l. 1. Consist.*

Consist. de 135. n. 8. Gerh. *tom. 7. loc. de Conjug.* §. *152.* nam tum est conjugium quidem verum, sed quia illegitimum est, moribus nostris, ob defectum benedictionis sacerdotalis, ideo propter favorem liberorum legitimum est faciendum. Ut vero bene gerantur omnia, gravissimis admonitionibus, ex sacris literis, a Præcone verbi divini, flectendus animus sponsi est, quem si iste haud mutaverit, sufficit consensus ejus semel in sponsalibus contractis datus, vel suppletur idem a Consistorio & Magistratu. Carpzov. *d. l. n. 11. & 12.* D. Præses *in dissert. de hierologia, sect. 4. th. 7.*

Th. VI. Quid autem, *si sponsus, qui impragnaverat sponsam, detrectans consummationem matrimonii, aufugerit?* Resp. Sponsa pro consequendis alimentis una cum fœtu in bona sponsi immitti potest per *l. nec filium 9. C. de pat. pot.* Carpzov. *ib. defin. 139.* D. Præses *dissertat. de Fuga.* §. *67.*

Th. VII. *Si clandestina & publica sponsalia concurrant, & clandestinis concubitus accesserit, utra preferentur?* Resp. clandestina, suadente æquitate, ne sponsa cum parentibus & cognatis majori injuria afficiatur, in tantum convalescunt per carnalem copulam (quæ censetur actus sponsalitii executio) ut contrahentes, per benedictionem sacerdotalem, illa consummare teneantur, etiamsi sponsalia illa non fuerint publice reiterata. Schneidevv. *Inst. de nupt. P. 1. n. 24.* Beust. *de matrim. P. 1. c. 14. in fin.* Kitzel. *Syn. matrim. c. 5. theorem. 12. lit. E.* Cypr. *de spons. c. 10.* § *17.* Carpz. *l. 2. Consist. def. 69.* Ita in Scabinatu Jenensi 1634. ad requisitionem Nicolai Fiedlers, zu Schwerstädt pronunciatum fuit: Ob wohl sonsten die öffentliche Verlöbnissen den heimlichen Ehelichen Versprechungen vorzuziehen: Dennoch aber, weil darbey die fleischliche

Vermischung noch von jener öffentlichen Verlöbnis darzu kommen, so ist gestalten Sachen nach mehr gemeldter B. B. mit dieser A. C. die Ehe zu vollziehen schuldig, &c. Modo certum sit, promissionem matrimonii revera esse factam, vid. D. Richter *p. 1. decis. 8. n. 88. & seqb.*

Th. VIII. *Quid si bina publica concurrant & posterioribus inpraegnatio supervenerit?* Prima praeferri affirmamus per *l. 30. de R. J. & c. 21. & 30. X. de Sponsal.* junct. *c. 1, 3. & fin. X. de sponsa duor.* Carpz. *d. l. def. 65.* quia priori sponsae jus quaesitum est, per consensum matrimonialem, qui per copulam hactenus illicitam, cum posteriori, perimi non potest. Praelaudat. Dn. Lynck *d. t. membr. Effectus sponsal. public.* Itaque sponsus non habuit potestatem altera vice se despondendi, utque coërceatur malitia, moribus nostris taliter delinquens ad numellam sistitur vel carcere punitur & deinde relegatur. Cypr. *c. 20. §. 17. de sponsal.* Nec dissolvuntur priora per juramentum in posterioribus factum per *c. in malis promissis. 5. C. 22. q. 4.* quod si tamen sponsa prima, ex causa praegnanti, a sponso intendat recedere, secunda tenebunt. Angel. *in sum. verb. Sponsalia. §. 25.*

Th. IX. Quod si prioribus inpraegnatio, posterioribus benedictio sacerdotalis accesserit, posteriora praeferentur. Carpzov. *l. 2. Consist. def. 66.* Magnif. Dn Struv. *Exerc. ad π. 29. th. 16.* quia priora sponsalia praeferuntur sponsalibus posterioribus, sed non posteriori marimonio, neque enim consummationi per copulam tanta vis tribuitur, ubi sponsalia alia concurrunt, quam ubi consensus sponsalitius unicus & solus, licet de futuro, ad ipsam copulam comparatur. D. Lynck. *d. l.* D. Praeses *de hierolog. sect. 6. th. 3. & 4.* ibi praejudicium in casu memorabili profertur.

Th. X.

Th. X. Cæterum non desunt maleferiati homines, qui, ut nefarium concubitum puellarum obtineant, compluribus una fidem de matrimonio dare haud verentur. Also hat ein Schaaff-Hirte in Mähren, noch vor Ausgang eines Jahres, 5. ledige Weibes-Personen geschwängert, und ieder, ohne Vorwissen seines Vaters, die Ehe versprochen, welchen man hernach mit Ruthen ausgestrichen, und des Landes verwiesen. Matthias Abele im andern Theil seltzamer Gerichts-Händel. *c.* 85. Quæritur ergo, *quid Juris, si quis duabus conjugium promiserit, sponsalibus publice contractis, atque utramque impragnaverit*? Resp. quia certum est matrimonium inter illum & secundam irritum esse, cum prioris maritus factus sit, consensu & concubitu secuto, hinc secundam tanquam adulterii ream retinere nequit, plecti vero potest pœna bigamiæ, quæ est species adulterii. Carpzov *p. 4. c. 20. d 2. & 3.* nisi prima sponsa delictum condonaverit & adulterum repetierit, quo facto, cum illo alio migrare compellitur. Cypr. *c. 5. de sponf.* §. *20.* secunda sponsa a juvene cognita, si primam desponsationem non ignoravit, ex Constitutione Augusti Tit. von Ehe-Gelöbnissen. §. Würde sich aber. ad numellam sistenda & ignominiosa facta, exilio afficienda est.

Th. XI. Esto casus: Sempronius frequentat ædes, ubi tres sorores, Martha, Catharina & Dorothea una degunt, juratque, se unam ex istis ducturam uxorem, post hanc promissionem ingravidat Catharinam. Quær. pro cujusnam sponso sit habendus? Resp. Cum ex vi promissionis, unam teneatur ex illis ducere, Catharinæ sponsus, imo maritus censetur, quoniam præsumitur eandem uxorio ac maritali affectu cognovisse. Covarr. *tom. 1. de sponsal. p.* 1. *cap. 4.* § *1. num. 25.*

Th. XII.

Th. XII. Sponſalia conditionata, ſi ſaltem in iis de tractatu ſponſaliorum conſtet, per imprægnationem ſponſæ a ſponſo factam, in verum matrimonium tranſeunt, quod conditionem non recipit *c. 3. & 6. X. de condict. appoſ. & arg. c. pen. X. de ſponſal.* vid. Havemann. *Gamol. Syn. l. 1. t. 7. poſ. 8. n. 4.* Carpz. *l. 2. Conſiſt. t. 3. def. 37* etiamſi partes adjecerint, quod ne quidem per concubitum a conditione receſſum velint. Cypr. *c. 8. de ſponſ.* § *2. num. 5. & 6.* Sic tametſi ſponſalia ab impuberibus per verba de præſenti contacta recte reſolvantur in ſponſalia de futuro, ſi tamen iidem pubres facti carnaliter miſceantur, matrimonium efficitur irrevocabile per *c. is qui fidem. 30. X. de ſponſal.* Havem. *d. l. num. 3.*

Th. XIII. Neque omittendum deputo, quod perſonæ deſponſatæ ante ἱερολογίαν, in venereos amplexus ruentes pœnam incurrant. Carpzov. *p. 4. C. 27. de. 12.* quia peccarunt contra conſtitutiones Eccleſiaſticas, optimo conſilio a Magiſtratu promulgatas, deliquerunt contra publicam honeſtatem & Eccleſiam ludibrio habuerumt. Per matrimonium enim ſolenne demum hodie Jus corporis transfertur, & male quis ſomniaverit jus in ſponſam plenum, antequam ab Eccleſia accepit benedictionem. Menzer. *de Conjugio. p. 245.* ap. Havem. *l. 4. t. 6 poſ. 10* Gerhard. *de conjug.* §. *475.* Carpz. *l. 2. Jurisprud. Conſiſt. t. 8. defin. 130.* Et ſponſa quidem in pudicitiæ deperditæ ſymbolum velata, vitiata & iis veſtibus, quibus conjugatæ utuntur, incedere cogitur, quia ante traditionem contra parentum & Κυρίων voluntatem clam marito pudicitiam prodidit, Deumque inſuper habuit. Cypr. *de ſponſal c. 13.* §. *54.* Sponſus vero vel pœna pecuniaria vel carcere afficitur. Id. *c. 5.* §. *10. n. 2.* etiamſi delictum poſt nuptias & ſolennem copulationem incipit innoteſcere; vid. Carpz. *Jurispr- Eccl.*

Eccl. lib. 3. tit. 6. de. 76. An vero pœnitentia ecclesiastica, die Kirchen-Busse, locum habeat? vid D. Præses *differt. de pœnit. ecclesiast. cap. 4. th. 76.* Quibus autem ceremoniis personæ, quæ insciis parentibus mixturam corporum fecerunt, post conjugii ritibus initiari cupiunt, copulandi sint a Pastore, ex Wirrtenbergensibus apertum facit Ludov. Dunte *in Decis. cas. Consc. t.* vom Ehestande *s. 4. q. 8. p. 849.* observandum tamen, quod, quemadmodum olim gravida mulier, ante nuptias, dotalibus instrumentis compositis legitimum parere poterat per *l. 11. Cod. de natur. liber* Ita hodie liberi post sponsalia nati habeantur pro legitimis juxta *c. tanta. 6. & c. perpetuas 12. X qui fil. sint. legit.* scil quoad effectus civiles, ut admittantur ad patris defuncti hereditatem. Dn. Struv. *Ex. 10 th. 16.* Philipp. *in usu Instit. pract. lib. 1. ecclog. 61.* non quoad obligationes Ecclesiasticas; add. *decis. Eelct. Noviss. 49.* & Kitzel. *Syn. matrim. c. 5. th. 10. lit. E.* Mantissæ loco *quæritur*, *quid operetur conditio*, *si quis dixerit*: *Ducam te*, *si ex me gravida facta fueris*: *nam explorare volo*, *utrum sterilis sis?* Resp. etsi mulier ex concubitu gravida facta non sit, nihilominus ex promissione tenetur Vir, & conditio habetur pro non adjecta, ratis manentibus sponsalibus. Cypr. *c. 8. de spons. §. 8 pr.*

Th. XIV Tantum de sponsa prægnante ex sponso; Quam excipit gravida ab Extraneo. Detestandus mos vigebat olim in Scotia, quem Rex Evenus III. introduxerat, vi cujus, Regi Nobilium, & Nobilibus plebejarum sponsarum pudicitiam prælibare licebat, antequam viri cum eis cubuissent, teste Buchanan. *l. 4. rer. Scot* apud Henning. Arnisæ. *de Jure connub. c. 3. s 5. n. 14.* Und in der Tartarischen Landschafft, Thebeth, werden die Jungfern zuvor, ehe Sie heyrathen, von den Männern beschlaffen,

referente Zeil. *cent. 3. q. 49.* Verum explosa & sibilis omnium exterminata corruptela illa jamdudum est ex fortunatissimis Christiani Orbis Rebuspublicis. Sic in Republica Judaica, si quis cum sponsa aliena concubuisset, uterque, ex Jure Israëlitarum civili, puniebatur lapidatione, ante scil. tam deductionem, quam coitum mariti; at post deductionem strangulatione, ut adulterii alii, excepto, ubi sponsa esset filia sacerdotis, quæ ex disertis legis sacræ verbis (*Levit. c. 21. v. 9.*) comburenda. Seld. *de J. N. & G. Ebr. l. 7. c. 7.* Ulterius: Quod si Noachides seu Proselytus domicilii, cum alterius Noachidis uxore, post sponsi coitum, concubuisset, concubitus nomine reus erat. Ast ob coitum sponsæ, aut domum seu in thalamum deductæ, quam cum nondum sponsus coiverat, rei habiti non sunt; Id. *ib.* Moribus nostris, qui sponsam alterius vitiat, virgis cædi debet, & perpetuo relegari, una cum sponsa, siquidem ea sciens ac volens tale cirmen admisit, nisi sponsus hoc delictum remittere sponsæ velit, & eam ad se recipere; Nam tunc mitius punitur. Joach. a Beust. *part. 1. de sponsal. c. 16.*

Th. XV. Virgo igitur prædeflorata, quam alius imprægnavit, ψευδο δέξη, quæ virgo non est, pro virgine tamen se gerit, potest a sponso repudiari omnino. Carpz. *Jurispr. Consist c. 2. def. 187.* quia stirpem adulterinam infert. *arg. c. 1. Matth. v. 18. 19.* maritique novelli dignitatem maculat. *l. 6. §. 1. ad L. Jul. de adult.* nec facile præsumitur animum mutatura, quæ semel honorem prostituit. Quis autem tam iniqvus in semetipsum extiterit, ut fœtum alterius sibi obtrudi patiatur, atque suscipiat, & tamquam suum diligat? Adde elegantem Leon. Imperat. *Novell. 93.* præterea error, qui hoc loco deprehenditur, etiamsi non sit de substantia personæ, est tamen de substantia matrimonii. Dn. Lynker. *in prælection. priv. ad d. t.*

membr.

membr. Contraria. Prima enim conjugii fides castitatis gratia est. *c. cave. 15. Conf. 28. q. 1.* Daher schreibet Zeiler. *cent. 3. q. 15.* Das Herr B. Freyherr von S. als Er in der Hochzeit, daß seine Braut geschwängert, erfahren, mit seinen Beyständen, sich des andern Tages wieder davon gemacht, und nicht mehr, ob Sie wohl mit grossem Leibe in der Kirchen vor männiglichen öffentliche Busse gethan, daß Er wieder zu Ihr kehret, beredet werden können. E. Gentilibus Pamphilus recusat recipere, quam ex alio gravidam suspicabatur, addit ipse, id sibi inhonestum fore:

Nam de reducenda, id vero neutiquam honestum esse arbitror:
Nec faciam, etsi amor me graviter consuetudoque ejus tenet.

Et ipsa Sostra, mater Philumenæ non audet hoc á Pamphilo petere, licet impensius nihil factum vellet. Terent. *in Hec. act. 3. scen. 3.*

Th. XVI. Pœna imprægnatæ, pro virgine se venditantis, alia fuit de Jure divino, alia est de moribus nostris. Jure divino lapidibus obruebatur, quæ, non sine crimine falsi, tanquam virgo, nupserat alteri, si ejus nomine accusata esset, virque peteret divortium. *Deut c. 22. v. 20. & 21.* Hodie pœnitentiam Ecclesiasticam dictari sponsæ taliter corrupte, quotidiano usu comperimus, nec cum injuria conjuctum foret, si parentes, quæ sponsam pro virgine collocarunt, vel pecunia vel carcere aut simili modo punirentur Cypr. *c. 13. de spons.* §. *46.* Gerh. *de conjug.* §. *112.* Imo possunt actione iujuriarum conveniri *arg. l. & omnem. 2. in fin. ff. de injur.* & recte sponsus super hoc implorat officium Magistratus. *arg. l. 3. ff. Stellionat.* Cessat tamen officium Magistratus, si sponsus parentibus & ipsi sponsæ condonat injuriam dissimulando. Cypr. *c. 13.* §. *25.*

Th. XVII.

Th. XVII. Lubet hic apponere casum, ubi Vitricus in conjugio gravidam reddiderat privignam, eamque alteri desponderat hujus rei ignaro, de quo præjudicium legitur apud Georg. Beatum *p. 2. tit. 5. c. 3.* quo JCti Lipsienses pronunciaverant pœnam gladii vitrico, quamvis ipsi uxor voluisset condonare delictum; Ast ante paucos annos in casu, ubi Stolbergæ Cheruscorum idem factum contigerat, in Scabinatu Lipsiensi aliter, & quidem ad intercessionem uxoris pœnam relegationis pronunciatam fuisse ex Dn. Præside percepi.

Th. XVIII. Quod si sponsus sponsam prægnantiæ insimulet, nec ea tamen appareat, repudium non permittitur. Sibi enim imputet, cur in mores sponsæ haud exactius inquisierit: sin deprehendatur gravida, priusquam ad extrema deveniatur, reconciliatio tentanda,

Th. XIX. Casus est: Sejus in facie Ecclesiæ una cum virgine, Septimia, sibi desponsata, cognatis præsentibus & amicis, antequam cubitum deductus, in sponsæ amplexum venisset, certior a Cajo & Sempronio, æqualibus suis redditus est, sponsam virginem non esse amplius, sed vitiatum? Resp. posse repudiari Septimiam, siquidem homines fidei digni palam id affirment sponsamque convincere parati sint: sin minus, tutissimum putamus, si illis, qui hæc divulgarunt, palam affirmare, profiteri & probare nolint, ut eos veluti perfidorum & infamium loco habeat Cypr. *de spons. c. 10. §. 50.*

Th. XX. Quid, *si sponsus ante benedictionem sacerdotalem cum sponsa consueverit, quæ ex alio gravida cognoscitur?* Resp. invitus eam retinere non cogitur, sed repudiare potest. Nam etsi culpandus sit, qui ante benedictionem cum ea consuetudinem habuerit, ideoque coercendus, tamen ob id puellæ depudicatæ peccatum non

eleva-

elevatur. Imo eo deterior ipſius eſt conditio, quod illa concubitus geminatione meretricium ingenium prodat. Cypr. *de ſponſ. c. 13. §. 55.*

Th. XXI. Non vero poteſt ſponſa puniri a Magiſtratu, neque repudiari, ſi ſponſus ipſi condonet delictum vel expreſſe vel tacite, quod fit, ſi ab ea non abſtinuerit, ſed eam ut uxorem tractet poſt benedictionem: ſi ſcienter vitiatæ matrimonium promiſerit per *l. 13. §. ult. ad L Jul. de adult.* ſemel enim quod placuit, amplius diſplicere non debet. *c. 21. de R. J. in 6.* vid Carpz. *Jur. Conſiſt l. 2. d. 187 n. 19.*

Th. XXII. Quod *ſi ſponſa ſit boneſta perſona & vi rapta fuerit poſt ſponſalia, an poſſit repudiari?* Diſtinguendum putamus; Num ſponſa vi compreſſa revelet factum ſponſo, ita ut de diſſenſu ipſius & dolore plene conſtet; eo caſu Sponſo, cujus animus commiſeratione potius, quam iracundia moveri debet, non erit integrum eam repudiare, quia vis illata uti non ponit conſenſum, ita crimen ſecum ferre nequit, & licet virginitas corporis ſit amiſſa, ſalva tamen adhuc eſt virginitas animi. Sin autem vel aliquo modo blanditiis vel perſuaſionibus inducta conſenſerit, vel factum celaverit, non abſque delicto eſſe videtur, neque ſponſus cogi poterit ad conſummandum matrimonium. Quoad ultimum, ſi nempe celaverit, circumſtantiæ judici relinqvuntur, qui pro ſua religione æſtimabit, qua mente quave de cauſa tacuerit compreſſa.

Th. XXIII. Quæſtio emergit obiter: *Utrum contrahens cum aliqua ſub conditione: Si te invenero virginem, licite agat?* Reſp. cum Angel. in Sum. *t. matrimonium. impedim 3. §. 7.* aut iſta conditio hoc modo intelligitur: Si te virginem invenero per aſpectum matrimonarum, & tunc eandem valere concedimus: quia non repugnat ſubſtantiæ ipſius rei modificatæ, aut ſenſus verborum

 eſt:

eſt: Si te virginem invenero per turpem copulam, & hanc conditionem tanquam turpem rejicimus, ſponſalibus nihilominus ſubſiſtentibus.

Th. XXIV. Cæterum admonendum arbitrantur Conſiſtoriales eum, qui ab alio imprægnatam, nihil obſtante prægnantia, ducere velit, ut ſponſaliorum complementum ſuſpendat, usque dum fœtum enixa ſit mulier, ne ſeminis confuſio & ſuperfœtatio, matri æque ac fœtui pernicioſa, oriatur: neve ſcandalum detur, dum alias magis inſtar brutorum animalium, ex cœco inclinationis naturalis impetu, quam honeſto amore, ad ſacra connubii, provolare videretur. Ita ex Roſtochienſibus Dunte *loc.* vom Eheſtande. *ſ. 4. q. 9. p. 850.* add. Gerhard. *de Conjug.* §. *162.* Cypræus *c. 13. de ſponſal.* §. *85.*

Th. XXV. Quod ſupereſt, placet ultimo loco annectere turpe ac inſolens factum Franciſci Sfortiæ, Inſubrum Principis, qui Perpetuam, pellicem prægnantem civi cuidam deſponderat. Cum vero ipſa ad Virum duceretur, amoris impotentia motus, eam in arcem perduci curavit, ubi tandem a Blanca, conjuge zelotypa occiſa eſt. Æn. Sylv. *c. 59. rer. Europ.* apud Zvvinger. *theatr. Vol. 7. l. 3. p. 1239.*

CAP. VI.

De Uxore Prægnante.

SUMMARIA.

Th. I. Connexio. II. Num uxor peccet mortaliter, quæ tempore menſtrui, debitum reddit? III. Maritus gravidam

vidam humaniter tractet, ipsique in exigendo opere, a prægnante conjuge, habenda est ratio valetudinis. IV. Uxorem ad zelotypiam ne irritet, sed conniveat. V. Non destituet eam parturientem. VI. Uxorem in partu decedentem, per annum, maritus nonnullis in locis lugere tenetur. Quod si uxor, ex mola, moritur, non tam diu tenetur. Q. quando ex culpa graviditatis mors esse præsumatur. VII. Non tenetur uxor prægnans maritum alio migrantem sequi. VIII. Num maritus debitum a muliere, tempore partui vicino, exigere possit? IX. Apud Judæos habetur, ut nemo cesset a multiplicatione humani generis, ullo tempore, modo ei suppetat facultas. X. Mulier, quæ dicit, invitam se viro traditam, si postea volens ad concubitum eum admittat, ad docendam violentiam amplius audiri non debet. XI. Pari modo si quis pro nobili ignobilem, quæ se nobilem venditabat, acceperit, & impragnatio accesserit, non potest eam repudiare. XII. Filius, in domo patris natus, ex viro & conjuge, in figura matrimonii præsumitur generatus, ex semine viri, & non concubinario; in tantum, ut nec matri etiam in articulo mortis asserenti, eum ex adulterino coitu esse conceptum, credatur. Nonnunquam mulieres gravidæ repudiatæ filium, quem absente marito pariunt, spurium profitentur, ex nimio odio. XIII. Non ferendus est, qui cum uxore sua moratus assidue, nolit filium agnoscere quasi suum. Ponuntur limitationes. XIV. Legitimus censetur natus in domo ægrotanis. Limitatur. XV. Si uxor statim 2. 3. aut 4. a die nuptiarum, mense pariat, partus ille illegitimus censetur. Lepidæ afferuntur historiæ. XVI. Si a die nuptiarum quinto vel sexto mense partus nascatur, an novi conjuges commixtionis carnalis, ante copulam sacerdotalem peractæ, insimulari queant? XVII. Si quis consummavit matri-

tri-

trimonium, & eadem die concubuit cum sponsa, si pariat septimo mense, mariti censetur. XVIII. Si mulier simulet se gravidam, & supponat partum alienum. Referuntur historiæ. Qualis præsumtio sit partus suppositi. XIX. Uxores diu steriles enixæ quandoque sunt partus legitimos. Referuntur exempla. XX. Alia præsumtio est, si mulier ab urbe recesserit & rus concesserit, nulla ad puerperium re parata. XXI. An quis possit se a tutela excusare, si uxorem prægnantem habeat? XXII. Nonnunquam uxor ex alio prægnans est. Nonnullæ gentes admisere concubitum Amicorum. XXIII. Judæi tantum scelus acerrime vindicarunt. Aliquid speciale refertur. XXIV. Gravidæ uxores e maritorum complexu quandoque abductæ sunt. XXV. Si maritus uxori ab alio gravidæ non consuevit, dissolvitur matrimonium. Non autem audiendus, qui uxori prælibatæ, gnarus stupri, εὔνοιαν præstat. Idem juris est in muliere, quæ se sciens passa est cognosci a marito adultero. XXVI. An infamis sit, qui imprægnatam ab alio ignoranter duxit, & scienter eam retinet? XXVII. Uxor imprægnata ab alio, se excusatione tueri nequit, quod maritus ei non reddiderit debitum conjugale. Nec excusatur pœna adulterii, etiamsi maritus impotens fuerit. XXVIII. An mulier cum impotente marito possit pacisci, de furtivis congressibus, cum consanguineo mariti? XXIX. Evitabit uxor crimen adulterii (1) si maritus, turpis lucri causa eam invitam tradiderit alteri imprægnandam, (2) si crediderit, maritum probabiliter esse mortuum. (3) Si vi oppressa sit. (4) Si maritus sit adulter. XXX. Q. Fœmina nupta & maritata, prægnans ex alio, quomodo de jure canonico puniatur? & quomodo hodie de jure Electorali Saxonico? XXXI. Utrum mulier adultera teneatur revelare filium, quem ex adultero suscepit, & quomodo debeat satisfacere? XXXII.

An

an mulier, quæ virum suum, longo tempore absentem, vita esse functum arbitrata, alii nupsit, sit punienda de adulterio? XXXIII. Quomodo consulendum conscientiis, si desertor uxoris redeat, & uxorem suam, quæ vivo ipso alteri nupsit, repetere velit?

Th. I.

DE prægnantia sponsæ quid legum disponant momenta, dispeximus hactenus; quandoquidem vero maximam sponsa cognationem habet cum muliere maritata, quippe quoad potentiam proximam haud male uxorem dixeris; ideo urgente ordine, de PRÆGNANTE UXORE quædam afferre utilissimum rati sumus.

Th. II. Ubi præcognitorum loco. Q. *Num uxor peccet mortaliter, quæ tempore menstrui debitum reddit?* Scimus enim, sicut tempus amplexandi est, ita etiam abstinendi ab amplexibus esse *Eccles. 3. v. 5.* videlicet tempore jejunii & precum. *1. Cor. 7. v. 5.* luctus & menstrui muliebris. *Levit. c. 15. & c. 18. v. 19.* & *Ezech. c. 18. v. 6.* Ad quod problema ita respondemus. Aut ex tali coitu potest fieri generatio probabiliter, aut non; si non, puta quia anus vel sterilis vel fluxum habens & quæ sit ejusdem conditionis alia, tunc non est peccatum mortale, nec in exigente, nec in reddente. Nec obstat, quod illud *Lev. cap. 15. v. 19.* & cæteris textibus allegatis dicatur præceptum morale: quia non est morale, respectu turpitudinis, alias esset peccatum mortale, etiam quando haberet continuum, est ergo, respectu prolis, mortale solum. Facit *c. intelligentia. 6. X, de V. S.* Si vero potest fieri generatio probabiliter, ut, cum non habet continuum fluxum, vel est ætatis debitæ, rursum distinguimus; aut vir considerat periculum prolis, seu quod possit generari leprosa, quæ alio tempore

generaretur sana, & contemnit, propter suam delectationem habendam, & sic peccat mortaliter tam exigens, quam reddens, quia tenetur homo magis diligere salutem suam vel proximi, quam bonum corporis proximi. Aut non considerat periculum prolis, nec de generatione sollicitus est, & tunc, si exigit, causa fornicationis vitandæ, in se vel in alio, vel debiti reddendi, non peccat mortaliter, licet concipiatur proles leprosa, quia dedit operam rei licitæ, nec reputabitur ad mortale; etiamsi debitam diligentiam non posuerit *arg. eorum, quæ not. in c. inebriaverunt. 9. c. 15. q. 1.* sin solum exigat causa libidinis, vel reddat, tunc ex futuro eventu cognoscitur, an peccarit mortaliter vel non: quia si proles generabitur leprosa, reputabitur mortale, quia dedit operam rei illicitæ, *arg. c. 1. de præsumpt.* sin minus, erit veniale. Ideo ante eventum debet confiteri, tanquam de mortali. *c. juvenis. 3. X. de sponsal.* Angel. *in summ. voc. Debitum Conjugale.* § *31.*

Th. III. Cæterum spectari potest uxor gravida, quatenus vel talis est ex *marito*, vel ex *alio*. Priori modo si consideretur, tunc marito cuicunque, modo non sit saxum aut stirpes, cogitandum, uxorem tot labores & sustinuisse & paratam sustinere, ut illi pariat liberos, heredes nominis & fortunarum: Viros contra, quo alacriores ad capessenda negotia se præberent, quærerentque libentius, quid uxori conducat, genitos esse solutos molestiis sequioris sexus, fluore menstruo, ferendo utero, nutriendo fœtu, quæ mulier obit, domi sedens, tanto corporis & animi onere compressa, commovere ut se vix valeat. Habenda ergo erit marito, in exigendo opere, a prægnante conjuge, ratio valetudinis. Nam nec patietur eam desidere, nec ita exercebit, ut affligat valetudinem, cum eam muliebribus officiis occupet natura & abunde satis exerceat in multis mise-

riis

riis & ingentibus partus doloribus. Add. Viv. *de Off. mar. cap. 5.*

Th. IV. Et cum Zelotypiæ fœminas gravidas admodum deditas esse, ex Galenô confirmet Camer. *hor. subc. cent. 1. c. 53.* (Est autem Zelotypia metus, ne quis habeat commune, quod tuum unius esse velis) hinc connitatur strenue maritus, ut taceat ad uxoris vehementiam, conniveatque, & caveat, ne ad iram eandem provocet, siquidem illud spurcorum hominum atque abjectissimorum est, imo non hominum, sed belluarum, ubi uxore ad satietatem fueris potitus, refrigescere amorem, quem ardor libidinis accenderat. Viv. *de Off. mar. c. 10.* Quo nomine meritissimo male audit Nero, Imperator Românus, qui uxorem dilectissimam, Poppæam Sabinam, quam Octaviæ superduxerat, gravidam ictu calcis solo afflictam peremit, quod, ex nocturna aurigatione tardius domum cum venisset, ab ea jurgio acceptus esset. Sueton. *in Neron. c. 35.* Jungatur die Römische Octavia, tersissimo stylo Germanice composita *P. 1. lib. 2. pag. 604.*

Th. V. Ne itaque destituat eam parturientem, in morbo cubitantem, sed accuratissimam curam ejus habeat, & hoc majorem, quo majus, ex impraegnatione, periculum ipsi imminet. Berckring. *Instit. Oecon. l. 2. c. 4.* quod si ipsi de necessariis, & Medicis non provideat, cum teneatur illam alere sedulo. Masc. *de probat. concl.* 77. Martin. Coler. *de alim. lib. 1. c. 10. n. 2.* non potest consequi lucrum dotis, auferturque ipsi hereditas, ob favorem infirmitatis, cum vult succedere ab intestato per *l. 3. ff. de his, quib. ut indign.* sic in casu, ubi maritus uxorem gravidam deseruerat & viginti annos abfuerat, uxore interim mortua Lipsienses apud Georg. Beatum *p. 2. tit. 9. c. 2.* ita pronunciarunt: So hat er sich dadurch alles Rechtens, das ihm, nach Gewon-

heit und nach Stadtrecht des Orts, da euere Schwieger gestorben, in ihren verlassenen Gütern gebühret, verlustig gemacht, derhalben bleiben und folgen eurem Weibe ihr der Mutter Güter, die sie ihr zur Ausstattung gegeben, und die sie hierüber verlassen (des Vaters Einrede ungeachtet) als ihrem einigen Erben billich, V. R. W.

Th. VI. Uxorem in partu decedentem, per annum, maritus lugere moribus, in nonnullis Imperii nostri ditionibus tenetur. Ut enim honor & recordatio esset aliqua conditionis afflictissimæ, quam conjux misella, cum amissione sui, subire necessum habebat, hinc æquum putavit legislator, virum ita se gerere, ut jacturam conjugis sibi acerbissimam esse liquido & ipso facto demonstret. Quod si uxor ex mola moritur, non tamdiu tenetur, quia vir est caussa molæ non immediata, sed mediata, nec principaliter agens, sed solum disponens. Qu. autem, *quando ex culpa graviditatis, mors esse præsumatur*? Resp. si mulier ex laboroso ac difficili partu decedat. (2) Si ex abortivo partu mortem obeat. (3) Si periclitetur ex edito multiplici partu. (4) Si ex monstroso partu. (5) Si fœtus in utero pereat, isque mortem matri afferat. Paul. Zach. *l. 1. qq. Med. leg. t. 4. q. 4. n. 80.*

Th. VII. Nec tenetur uxor prægnans maritum alio migrantem sequi, præprimis si tempore matrimonii, factum sit pactum de stando in certo loco. Abb. *in c. 1. X. qui matrim. accus. poss.* Menoch. *de arbitr. c. 469.*

Th. VIII. Quoniam, ut supra capite secundo ostensum, in animalibus & bestiis, ipso jure naturæ, præscriptum est, ut prægnantes ad partum usque non coeant, homines vero alium servant morem, dum congressus conjugales non abominantur, cujus rei rationem Populia lasciva apud

Ma-

Macrob. *lib. 2. Saturn. c. 5.* reddit, quia homines sunt: ut ut sancti abstinerent a gravidis; nec accederent uxores, nisi eo tantum tempore, quo conceptus non negabatur; idcirco non incommodum visum fuit quærere, *quid sentiendum de Viro sit, debitum a muliere, tempore partui vicino, exigente?* Resp. quod si sine periculo abortus, Vir potest carnaliter copulari uxori suæ prægnanti, potest exigere, sine peccato mortali, & mulier ipsi tenetur reddere, quia matrimonium non modo est in officium, sed etiam in remedium, adeoque satisfactio concupiscentiæ, intercedente vera copula, *1. Cor. 7. v. 2.* secundarius illius finis non male vocabitur. Si autem non potest, sine probabili periculo abortus, tunc non debet reddere, nec exigere, imo peccat mortaliter tam reddens, quam exigens, quia non curat occidere animam parvuli, una cum corpore, Conf. *c. origo 5. c. 32. q. 4.* non tamen erit peccatum, si hoc non intendit. Allubescit h. l. deprædicare Zenobiam, Palmyrenorum Reginam, quæ referente Trebellio Pollione, ap. Viv. *de fœm. Christ. c. 2. c. 5. circa fin.* ea castitate fuisse dicitur, ut ne virum quidem suum sciret, nisi tentatis conceptionibus. Nam cum semel concubuissent, expectatis menstruis, continebat se; si prægnans erat omnino secubabat, quoad peperisset, sin minus, iterum potestatem sui faciebat viro; quæ non plus muliebribus ad libidinem sollicitabatur, quam pede aut manu: digna, quæ vel sine concubitu pareret, quem tantum in pariendi usum petebat; vel sine dolore, quæ implebatur sine voluptate.

Th. IX. Præscriptum habetur ex scitis scribarum apud Judæos, ut nemo cesset a multiplicatione humani generis, ullo tempore, modo ei suppetat facultas, etiamsi vel maxime perimpleverit præceptum de multiplicatione humani generis. Nempe quicunque adjecerit animam

unicam Israeli, quasi mundum ædificat. Quin etiam in scitis est sapientum, ut nec Vir domicilium habeat sine uxore, ne libidinis stimulo urgeatur, neque uxor sine marito, ne suspecta reddatur & procorum importunitati obnoxia. R. Maimonides apud Joh. Selden. *c.* 5. *c.* 3. *d. Jur. Nat. & Gent. Ebr.*

Th. X. Multum autem facit ad stabiliendum conjugium *impragnatio.* Ita mulier, quæ dicit, invitam se viro traditam, si postea volens ad concubitum eum admittat, vel per integrum vel dimidium annum cum eo vivat, ad docendam violentiam amplius audiri non debet. *c. insuper. 4. X. qui matrim. accus. poss.* quia consensisse præsumitur. *c. ad id quod 21. de sponsal.* Idem judicium ferri debet de eo, qui metu & minis adactus, cum puella matrimonium inivit eidemque mox carnaliter cohabitavit gravidamve reddidit eam.

Th. XI. Pari modo si quis pro nobili ignobilem, quæ se nobilem venditabat, acceperit, & hæc prægnans sit ex ipso, deductione in domum facta, non potest repudiare ipsam, quia res amplius non integra, sed matrimonium omnimodo consummatum arg. *c. 2. X. de conjug. serv.* Cypr. *de matrim. c. 13.* §. *37.* Kitzel. *syn. matr. c. 4. th. 18. lit. F.*

Th. XII. Satis de his. Nunc, quid operetur imprægnatio uxoris a marito facta, videamus. Scilicet filius in domo patris, natus ex viro & conjuge, in figura matrimonii præsumitur generatus ex semine viri & non concubinario: etiamsi amasius consuetudinem cum ea habuerit, ut evitetur crimen & inhonestas. Balduin *ad l. si matre. 11. C. de suis & legit.* idque in tantum verum est, ut filius, qui est in possessione filiationis, non teneatur credere matri, etiam in articulo mortis asserenti, eum ex adulte-

te-

terino coitu esse conceptum, secundum Cynum *in l. si vicinis. C. d. nupt.* Diac. Covarruv. *tom. 1. relect. ad cap. peccatum. d. Reg. Jur. in 6. n. 8.* Boër. *q. 299. n. 8.* quamquam ambo parentes negarent eum filium, ut probatur in *c. transmissæ 3. qui fil. sint legit.* nisi probetur tempore conceptionis non concubuisse simul vel propter absentiam, vel propter infirmitatem. Quamdiu enim potest ex marito generari, nunquam præsumitur ex alio genitus, etiamsi probaretur, quod eo tempore mulier adultera vel extra domum mariti vel in loco suspecto reperta fuisset, ut notatur in *l. miles 11. §. defuncto. 8. ad L. Jul. de adult.* Marian. Socin. *c. 9. X. de pœn. & remission. n. 6.* Potest enim esse, quod ex marito facto sit gravida & non ex adultero. Beust. apud Dunt. *t.* vom Sacram. der H. Tauffe *q. 25. p. 467.* quia in obscuris, quod minimum est, sequimur. *c. 30 de R. J. in 6.* & in dubio filius censetur legitimus, ut innuit Panorm. in *c. pen. X. de adult.* & facit *l. quia semper. 5. de in jus voc.* Add. Carpz. *Consist. l. 2. t. 13. def. 227.* Huc refer verba Zrileri *cent 4. ep. 82.* Wann schon die Mutter etliche mahl in dem Ehbruch erdappt worden; auch in Abwesenheit des Mannes einen Neben-Sohn erzeuget, so wird doch das andere Kind, welches als der Ehmann noch gegenwärtig gewesen, empfangen und gebohren worden, für ehrlich erkant. Welches auch statt hat, wenn die Mutter fast alle Nacht ausser ihrem Hause schläfft, und mit ihren Ehebrecher ümgehet, wann Sie nur auch ihren Manne zu willen ist, wenn Er es an Sie begehret. Accedit, quod nonnunquam mulieres gravidæ repudiatæ, filium, quem absente marito pariunt, spurium profitentur ex nimio odio, quo casu matris iratæ professio neque patriæ potestati, neque hereditati legitimæ obest, sed veritati locus superest. *l. Imperatores, 29. §. 1. ff. de probat.*

Th. XIII. Proinde non ferendus est is, qui cum uxore sua moratus assidue, nolit filium agnoscere quasi suum. Aliud est, si novella uxor confiteatur, se ab alio carnaliter fuisse cognitam eo tempore, quo partus concipi potuit, tunc namque partus nec pro legitimo habetur, nec a marito alendus est D. Richt. *dec. 89. n. 4.* quandoquidem confessio ipsiusmet partis adversæ, maxime in judicio facta, omnium probationum censetur firmissima arg. *l. un. C. de confess.* Cypr. *p. 1. de Jure Connub. c. 13.* §. *51.* item si, post longam mariti absentiam, reperta prægnans sit, tunc enim ille rediens optimo jure partum rejicere potest, per *l. 6. de h. q. sui vel. al.* Secus ac Angeli facere assolent, apud quos, licet quis per annum & diem extra domum fuerit, modo non transfretarit, domum rediens, partum inventum alere tenetur, si vera sunt quæ habet Sprenger. *in Perspic. Orb. Christ. t. de sing. quar. consuet. a Rom. Jur. discrep. n. 3. p. 83. edit. 1666.*

Th. XIV. Legitimum quoque censeri natum in domo ægrotantis, vult Surd. *dec. 83. n. 6.* non tamen præsumitur mulier gravida ex valetudinario. Masc. *Vol. 1. concl. 312. n. 19.* adeoque filius legitimus minime putatur, qui natus est ex muliere, cujus maritus ea corporis constitutione laborabat, ut judicio Medicorum generare non potuerit. Menoch. *de Præsumpt. lib. 6. præs. 53. n. 16.* & *de arbitr. lib. 2. cent 1. cas. 89. n. 53.* Rol. *Vol. 3. cons. 11. num. 2. in f.* Idem sentiendnm, si marito ambo sint ὀρχίδια abscissa. Cessat præsumptio impotentiæ, si pars genitalis sit læsa, puta unum ὀρχίδιον. Quirin. Kubach *cent. 1. quæst. Jurid. Polit. decur. 1. q. 6.*

Th. XV. Quod si uxor statim secundo, tertio aut quarto, a die nuptiarum, mense pariat, partus ille adulterinus censebitur, nec agnoscendus a viro nec alendus. Neque hoc

hoc in casu, deficientibus aliis indiciis, mulieris assertioni juratæ etiam, ex marito se factam gravidam esse, creditur, cum pro evitanda macula & infamia facile pejeret, *arg. l. qui accusare. 4. C. de edend c. per tuas. 6. X. de condit. appos.* Ob wohl jener junge Eheman, dessen Henr. Salmuth. *ad Panciroll. l. 2. mem. t. 10.* erwehnet, 6. Wiegen gekaufft als seine Frau den andern oder dritten Monat, nach der Hochzeit, Ihm ein schönes Kind gebohren, befahrend, sein Weib würde alle 2. Monat alsso zu gebähren fortfahren. Et simplex quidam rusticus in Franconia, cujus uxor quarto, post nuptias celebratas, mense facta puerpera erat, sibi persuaderi ab ea passus est, ipsam tempus ordinarium non prævertisse. Mirante enim marito præproperum partum, ac asserente, ab aliis se intellexisse, ad minimum octo, a nuptiis, menses elabi debere, antequam pareret uxor, quæsivit mulier, quot eam mensibus uxorem habuisset, quatuor, respondit hic, & ego, inquit uxor, quatuor te mensibus habui maritum, quid ergo mirum, si peperi? Quo audito, acquievit rusticus, enarrante id ex Nancel. *lib 8. Anal.* P. Schott. *l. 3. Phys Cur. c. 30.*

Th. XVI. *Si a die nuptiarum quinto vel sexto mense partus nascatur, an novi conjuges commixtionis carnalis, ante copulam sacerdotalem peractæ, insimulari queunt?* Resp. vix dubitandum, quin possint per ea, quæ habet Carpz. *l. 5. Resp. t 10. resp. 111.* interim tamen caute judex agat, si quinto aut sexto mense editus non sit vivax, sed moriatur, & quinto quidem mense natum, vel quod eodem recidit, post dimidium matris uterum gerentis tempus sive 20. hebdomadas legitimum agnovit Serenissimus Elector. Saxoniæ. vid. Carpz. *Jur. Eccl. l. 2. t. 13. d. 227. n. 11.* Simile quid Senatum Appellationem in Electoratu Saxonico sanxisse de partu sexto mense edito, ostendit Havem. *lib. 2.*

Gamol. Syn t. 10. probl. 1. & de partu, post exactos sex menses nato, Lipsienses apud Georg. Beat. *p. 2. t. 8. p. 164.* ita judicarunt: Ihr möget das gedachte Kind vor keinen Frembdling beschelten noch halten, V. R. W. Huc facit Facultatis Medicæ Lipsiensis præjudicium: Was an uns gelanget ist worden, wie ein nahmhaffte Zunfft etwan soll eingebracht haben, indeme Sie vermeinet darzuthun, daß kein Kind im sechsten Monat, nach Rechnung der Rechte, lebendig und ehrlich auf die Welt könte gebracht werden, und sonderlich, dieweil sichs mit einem Weibe also soll haben zugetragen, welche in 177. Tagen oder in 25. Wochen und 2. Tagen, i. e. 3. Tagen vor den 7. Monat, ein lebendig Kind gebohren habe, und dasselbe, nach fleisiger Wartung auch in 17. Wochen beyn Leben erhalten: Ist von uns die Frage, ob solches auch geschehen könte, daß es ehrlich gebohren, gemeinet und gesprochen worden. Hierauf sagen Wir, auch nach Lehre der Aertzte und Natur-Kündiger, und nach fleißigern gehaltenen Rathschlag einträchtig und einhellig. Ob wohl wenig solcher Gebuhrten geschehen, doch gleichwohl befunden, daß dergleichen vielmahl geschehen, und natürlicher Weise seyn könne, auch hieneben in der Frage vermeldet wird, daß sichs mit etlichen auch an selben Orthe also fast soll haben zugetragen, die lebendig auf die Welt gebracht worden sind: Ob wohl etliche kürtzer, etliche länger bey dem Leben blieben seyn solten *rc.* und auch geschehen kan, und Wir auch vernommen, daß diese Frau, welche jüngst gebohren, etwan einen Fall soll gethan haben. Daß also aus solcher obgemelten Gebuhrt derowegen nicht zu achten, daß solch Kind unehrlich gebohren sey, dadurch dieser oder einer andern Frauen in gleichen Fall in diesem Gebähren Unehre mit Grunde zugemessen werden möchte Vid. *Medic. Crit.*

D. Am-

D. Amman. *caſ. 4.* Idem pronunciarunt Lipſienſes, *apud Eund. caſ. 75.* cum vir ſeptuagenarius, vegetus adhuc & robuſtus virginem vicennem duxiſſet, quæ gravida ex alto ceciderat, & partum 173. dierum, caput tamen imperfectum habentem, in hanc lucem protruſerat, cum maritus partum illum nollet habere pro ſuo, & ſuſpicionem anticipati concubitus de conjuge concepiſſet.

Th. XVII. Si Titius conſummavit cum Berta matrimonium, & eadem die concubuit primo cum ea, & ſic continue ſtetit cum ea, ſi pariat ſeptimo menſe, ſecunda die, vel poſtea, tunc partus ille præſumptione juris erit Titii, licet poſſibile ſit, quot partus ille fuerit conceptus ante matrimonium, per duos vel tres menſes, ab alio viro. Jacobi *in Pract. aur. libell. Rubr.* 51. §. *29.* Add. Beuſt. *P. 2 de matrim. p. 160.* & Carpz. *l. 2. Conſiſt. def. 224.* Idem judicandum, ſi partus fuerit editus octavo menſe vitalis. Jac. *d. l.* §. *30.* quem evolviſſe haut pœnitebit fuſius de hac re diſſerentem.

Th. XVIII. Non raro evenire ſolet, ut mulieres, quas ſpes habendæ prolis deſtituit, cum non poſſint fieri matres, aut ſi vel maxime factæ fuerint, per infortunium, amiſerunt ſobolem, extraneum partum ſupponant, ut Viris magis placeant, quo caſu falſum committitur. *l. 19.* §. *1. l. 30.* §. *1 ff. ad L. Corn. de falſ. l. 1. ff. de agnoſc. lib.* Cujus delicti pœna hodie fuſtigatio eſt, non habito reſpectu perſonæ, quæ alienum ſubſtituit, an parens fuerit, nec ne. Carpzov *p. 2. Crim. q. 93. n. 27.* Magnif. Dn. Struv. *Ex. ad π. 49. th. 72.* Sic. *c. 9. X. de pœn. & remiſſ.* mulier quædam, cum prolem ſe habituram eſſe deſperaret, timens, ne viri poſſeſſio devolveretur ad alios, ſuccum quarundam herbarum potavit, quo facto, venter ejus intumuit ipſaque gravidam ſe oſtendens, partum ſuppoſuit alienum: poſt-

modum maritum pertimescens, qui prolem suam esse credidit, anxia de facinore, confessa fuit Presbytero, qui ipsi pœnitentiam injunxit. Eutropia Syra, uxor Maximiani Imper. cum mariti animum cuperet sibi retinere devinctum & obnoxium, ac ipsum enixe optare prolem intelligeret, simulavit se gravidam, cum revera gravida non esset, ac filiam enixa subjecit filium Maxentium, quo partus primus per se marito gratus fieret, ob prolem masculam longe gravissimus. Cuspinian. *in vita Maximiani.* Nec Perseus Philippi filius credebatur, quam conjecturam ipse odio in fratrem & partum regia ignavia confirmavit. Plutarch. *in Paul. Æmyl.* Ebener Massen hat Algaristens, des Sultans von Babylon Gemahlin, an statt ihres weggeraubeten Sohnes, Formidauren, ihres Groß-Vaters, eines Königes in Arabien Söhnlein, aus Lust einen Männlichen Reichs-Erben zuhaben, aufferzogen, und Ihn bey ihrem Gemahl vor jenen ausgegeben, bey dem Marini im Wett-Streit der Verzweiffelten, gedeutschet durch den Unglückseligen. *l. 2. p. 178. & seqq.* Imo nonnunquam filii loco, filiam virili habitu suppositam fuisse, experimento deprehensum est. Also hat die Aegyptische Infantin, Karilda, an statt ihres verblichenen Sohnes Fiorlindo, den Sie von Asmadien erzeuget, Fidelmen eingeschoben, welche sich einer Mannes-Kleidung bedienen müssen, bey gedachtem Autore *l. 4. p. 399. & seqq.* Præsumptio autem supposite partus est, si mater diu sterilis fuit, & usque ad illud temqus, ni quo se peperisse dicit. Socin. *consil. 90. post. num. 19. vers. adest etiam.*

Th. XIX. Non tamen negandum est, uxores quasdam, diu steriles, enixas fuisse partus legitimos, concurrentibus circumstantiis; Ex naturæ enim vario lusu hæ illæve fœminæ serius citiusve impraegnari possunt. Hoboken.

boken. *epist. Med. 8.* §. *35.* Sic Boleslaus III. Rex Poloniæ, ex conjuge Adelheida, quæ, per integrum decennium, infœcunda fuerat, quinque filios suscepit. Salom. Neugebaur. *hist. Polon rer. lib. 3. p. 90.* apud Zeiler. *cent. 1. epist 47.* qui posterior Ludovicum XIII. Regem Galliæ, ex conjuge, ultra vicennium sterili 1638. filiolum, Henricum V. cum insigni animi voluptate, vidisse, ac Salomon quoque, Gabrielis Basilii, Magni Ducis Moscoviæ uxorem, exactis viginti & uno annis, filium demum, nomine Georgium in lucem edidisse, scribit. Et Arnisæ. *c. 6. de jure connub. sect. 8. n. 13.* fœminam quandam nobilem, quæ octodecim annos improlis fuerat, trienni spatio tres filios peperisse, prodit.

Th. XX. Alia præsumtio est, si mulier ab urbe, ubi omnium rerum copia est, recesserit & rus concesserit, nulla ad puerperium re parata, nec etiam obstetricibus secum adductis. Præterea si supervenit obstetrix, dum jam peperisset, non dum pareret, & reperit filium, intra ejus fœmora, jam e ventro editum, quem ipsa mulier se peperisse dicebat. Socin. *d. c. post. n. 3. vers. & præterea.* Hinc Henricus V. Imperator & Dux Sueviæ, ad removendam suspicionem, Constantiam uxorem, Guilielmi Boni, Siciliæ Regis filiam, regni Neapolitani heredem, quæ major quinquagenaria nupserat, ex monasterio extracta, Panormi, publica in platea, sub papilione, dato mulieribus Siculis, quæ vellent, ad eum accessu, parere voluit. Quæ postea Fridericum II. Imperatorem fauste in lucem edidit. Paul. Æmyl. *l. 6. hist.* apud Arnis. *de jure connub. c. 2. sect. 4. n. 13.* Add. Horn. *in Orb. Polit. p. 3. in memorabil. Siciliæ.* Item si constet, paulo ante natum fuisse ex alia puerum, & hunc traditum alicui maxima familiaritate conjuncto illi mulieri, quæ se tunc peperisse dicit, etiamsi is amicus confitere-

 tur,

tur, se eum accepisse & habuisse puerum, alia de causa. Bart. *in l. Aurelius. 28. §. idem. quaesiit. 12. ff. de liber. leg.* Plura hanc materiam illustrantia reservabimus ad caput sequens.

Th. XXI. Non incommode disquiritur, *An quis possit se a tutela excusare, si uxorem praegnantem habeat*, cum apertissimi juris sit, tres liberos civibus Romanis excusationem a tutela praebuisse. *pr. Inst. de excus. tut.* Resp. quod non per *l. 2. §. qui autem. 6. ff. eod.* quia verba *l. 1. C. qui num. lib. se exc.* ibi: *Trium liberorum incolumnium numero:* tutelae & curae vacationem arguunt πολυπαιδίας procuratam, si jam, cum pater tutor curatorve creatur, superstites liberi sint & vivant. *l. 2. §. remittit. 2. ff. de excus.* Neque enim, qui nasci speratur, in hac quaestione civilium ve munerum, ubi nihil de ipsius jure quaeritur, patri proficiet. *l. quod dicimus. 231. de V. S. l. qui in utero. 7. de stat. hom.* Marc. Vetranius Maur. *tr. de Jure liberor. c. 7. pr.*

Th. XXII. Ne modum omnem excedere videamur, *ad uxorem ex alio praegnantem* delabimur. Scilicet sapientissimo consilio paucos viros steriles genuit natura, foeminas plurimas, quod in virili infoecunditate majus est damnum, quam in foeminea. Viv. *l. 2. de Chr. foem. c. 10. p. 448.* Accedit, quod ob ingenii inconstantiam facillime in devia incidat mulier, & pudicitiam, quam creditam & apud fidem suam depositam commendatamque a viro habet, alteri immolat, domino invito, non sine furti scelere, ac suis aequalibus exemplo ad flagitium est, inurens aeternam generi suo notam filiosque sua dementia in eam adducens necessitatem, ut nec de matre possint audire, sine pudore, nec de patre, sine dubitatione. Id. *ib. c. 2.* exempla qui desiderat, adire poterit Zvving. *Theat. p. 1259. & seq.* Nec enim cordatis bonisque viris sanctio illa Solonis

nis probatur, quæ fœminis maritos, ad rem Veneream parum idoneos sortis licentiam dabat, unum, quem vellent, ex mariti propinquis admittendi. Sabell. *l. 5. Enn. 2. in theat.* Zvving. *V. 7. lib. 3.* aut Lacedæmoniorum consuetudo, qui nihil pensi habebant, solo marito contenta viveret mulier, an fortissimo cuique traderetur, ut similes procrearet liberos. Plutarch *in Lyc.* omnibus nervis allaborandum potius, ne infrunita hæc libido maneat impunita. Ist derowegen nachfolgender Brauch der Jüden nicht zu verwerffen, daß ein Weib, wenn es im Ehebruch ergriffen wird, 40. Tage nach einander, auf ieden Tag eine halbe Stunde, des Winters nackend, biß an den Nabel in kalt Wasser, und des Sommers auf einen Ameissen Nest sitzen, und daneben ein gantz Jahr ohne Hembde gehen, und des Nachts ausserhalb der Thür schlaffen muß. Schwartzmäyer *lib 1 Miscell. jur. c. ult. in fin.* allegatus a Petro Pappo in seinen Anmerckungen über das Holl. Kriegs-Recht. *p. 51. & 52.* licet Buxtorff *in Synag. Jud. c. 47.* rem paulo aliter enarret. Nec ferendi sunt alieni connubii levissimi temeratores, utut non offensionis, sed libidinis gratia, præsumantur mulieres alienas cognovisse. Alex. Raudens. *tract. de Analog. l. 1. c. 31. num. 6.*

Th. XXIII. Judæi tantum scelus vindicarunt acerrime. Si enim Nochaides concubuerat cum uxore Israelitæ, postquam coitus matrimonium secutus esset, perinde ac si cum Gentilis uxore coiverat, gladio puniendus erat. Non item, si fecerat, antequam maritus cum sponsa coiverat. Nam ex Jure Noachidarum sive naturali, citra coitum, ne quidem uxor, juxta Talmudicos, habebatur ea, qua cum quis matrimonium contraxerat. Jure autem Israelitico etiam ex sponsalibus, citra deductionem, citra coitum uxor fiebat. *Deut. c. 22. v. 22.* Seld. *l. ult. de J. N.*

J. N. & G. Eb. c. 7. Quod si Nochaides sive Gentilis conjugaverat ancillam in contubernium servo suo, etiam ipse (si cum ea rem habuisset) ultimo supplicio puniendus erat eo, quod uxorem alienam compresserat. Sed hoc nomine reus ille neutiquam erat, usque tum manifestum esset contubernium & publice dignosceretur, eam ex servi ejusmodi familia (velut conjugem) esse. Quod si disjungebat eam a servo suo (nam utriusque voluntas in potestate domini erat) & caput ejus palam aperiebatur (cum detecto capite in publicum ea prodiret, quoniam non sine velo nuptæ prodire solebant) licite denuo cum ea concumbeat. Id. *l. 5. c. 7.* Speciale erat, quod bello capta Gentilis, pro victoris cujuscunque arbitrio, aliena esse uxor desinebat. Post concubitum ejusmodi unicum, si in Judaismi professionem allici potuerit, baptismo statim suscipiebatur, nomine juris Proselytæ, seu ut Proselyta justa fieret, sive autem Judaismum aversaretur sive susciperet, luctus menstruus domi ei erat agendus. Nec, ante binos annos elapsos, in uxorem ducere domino fas erat, tametsi Proselyta justa fieret. Tempus hoc adjectum, ad distinguendum semen primum a semine secundo, ut scil. dignosceretur ex tempore trimestri, utrum ex concubitu, antequam Proselyta fieret, an post forte gravidaretur. Id *d. l. c. 13.*

Th. XXIV. Non placet patronos nequitiæ imitari, qui maritorum e complexu, gravidas uxores abduxerunt. Quo nomine reprehensum fuisse Augustum, legimus, quasi prudentis & moderati Principis officium transgressum, quod Liviam Drusillam a Tiberio Nerone marito (ut putabatur, revera vero ex illo, ut sagaciores persentiscebant) gravidam abstraxerit, tegendi sceleris causa, repudiata Scribonia. Sueton. *in Aug. c. 62.* Ejusdem pressit vestigia Caligula, qui, cum e thalamo Pisonis, Cæsoniam, calen-

calentem a marito rapuisset, dixit: matrimonium sibi sumptum exemplo Romuli & Augusti. Id. *in Calig. c.25.* Quid? quod Tiberius Agrippinam uterum gestantem, cum summo mœrore, relinquere coactus fuit, cum sibi Julia, Augusti filia obtruderetur. Id. *in Tiber. c.7.*

Th. XXV. Potius est, ut maritus conjugi ex alio gravidæ non cohabitet, ne seminis oriatur confusio. Carpz. *Juripr. Eccl. l. 2. d. 195. n. 13.* Si cum uxore, ab alio ante impraegnata & gravida reperta non consueverit, dissolvitur matrimonium. Carpzov. *P. 4. C. 20. d. 12.* uxoris enim & viri eadem esse debet fides castitatis promissio, inseparabilitatis, & spes una habendæ prolis. Id. *d. C. d. 13. num. 4.* Nec audiendus est divortium petens, si uxori prælibatæ, gnarus stupri, εὔνοιαν præstet. Id. *Consist. l. 2. d. 179.* Sero enim accusat mores, qui jam approbati sunt. *l. si uxor. 13. §. ult. ad L. Jul. de adulter.* Idem juris est in muliere, quæ se passa fuit cognosci a marito adultero, censetur enim injuriam remisisse. Ex Bertazz. *Consil. 228. n. 12.* Joh. Bapt. Bajard. *ad Jul Clar. §. Adulterium. n. 118.*

Th. XXVI. Q. *An sit infamis, qui inpragnatam ab alio ignoranter duxit, sed sciens retinet?* Negamus, quod infamis fiat, sed famæ potius ipsam restituat. Carpz. *p. 2. c.6. d.14.* D. Formm. *diss. d. levis not. macula. θ. 39.* Aliud est, si publicum prostibulum duxerit, quia hoc casu non solum, quæ facit, verum ea quoque, quæ facit turpia, etsi facere desiit, lege notatur. Neque turpitudo aboletur, quæ postea intermissa est. *l. 43. §. 4. de rit. nupt.*

Th. XXVII. Quando notorium adulterium facti permanentis fuerit, si nimirum cognita ab adultero sobolem procreavit. *c. significasti. 4. vers. verum mulier. X. de divort.* coram judice Ecclesiastico, ad dirimendum matrimonium, illibata conscientia agere licet, neque hac excusa-

cusatione tueri se mulier potest, quod maritus ei non reddidit debitum conjugale. Boër. *decis. 297. n. 15.* quia non tenetur ad actum generativæ, in notabile præjudicium sanitatis; non enim Deus obligavit virum, contra ordinem naturæ rectum, qui prius attendit ad actum nutritivæ, quo conservatur proprium individuum, quam ad actum generativæ, qui ordinatur ad conservationem speciei, ut ex Thoma tradit Angel. *in sum. verb. Debitum conjugale.* §. 2. & licet, ante nuptias, se imprægnari passa, non damnetur criminis adulterii, Harmenop. *l. 4. Instit. t. 12.* constante tamen matrimonio, si ex alio efficiatur gravida, quam a marito, non excusatur a pœna adulterii, etiamsi maritus impotens fuerit. Ita Consistor. Witteb. apud Georg. Dedeken. *Vol. 3. Consil. l. 4. de conjug. consumm. & reciss. sect. 6. n. 12.* Hat E. sich an einen Ehmann gehenget, mit demselben fast 3. Jahr lang zugehalten, und ein Kind von Ihm bekommen, ist auch noch mit einen andern Kinde von Ihm schwanger, so wird Sie derowegen, vermöge Churf. Sächs. Ordnung, iedoch allererst Ausgangs der sechs Wochen, auch mit dem Schwerdt gerichtet, ungeachtet, daß Ihr Ehemann zu ehelichen Wercken untüchtig, dieweil Sie sich des an die ordentliche Obrigkeit nicht beklaget, und sich von Ihm zu sondern gebeten, V. R. W.

Th. XXVIII. *An mulier cum impotente marito possit pacisci de furtivis congressibus cum consanguineo mariti?* vide Havem. *l. 3. Gamol. Synopt. t. 8. pos. 3.* negative illam decidentem, ubi subdit, quod maritus uxoris adulterium dissimulans habeatur jure Civili pro adultero. Confer. *l. 2. §. 2. l. qui domum 8. l. etsi amici. 9. § fin. l. mariti lenocinium. 29. ad L. Jul. de adult.*

Th. XXIX.

Th. XXIX. Evitabit tamen uxor crimen adulterii (1.) si matitus turpis lucri causa eam invitam tradiderit alteri d ipraegnandam, *c. discretionem. 6. X. de eo, qui cogn. conf. ux. suae.* Schneidevv. *ad Inst. tit. de nupt. Rubr. de divortio. n. 30.* & hoc casu maritus mortis incurrit supplicium de jure Civili. (2.) si crediderit maritum probabiliter mortuum *c. cum per bellicam. 1. C. 34. q. 1. Clar. l. 5. sent. §. fornicatio. vers. depone 31.* vid infra *th. 32. hoc cap.* alias uxor marito diutius absente, admittens alium, non tam ex luxuria, quam libidine ingentia, cui ustionis remedio destituta, resistere nequit, delinquere. Carpzov. *P. 2. Crim. q 58. n. 38.* (3.) si uxor vi oppressa sit. *l. 13. §. 7. ad L. Jul. de adult. c. itane. 1. C. 32. q. 5.* (4.) si maritus sit adulter, tunc illi uxorem adulteram dimittere nequit *c. significasti. 4 X. de divort.* paria enim delicta mutua compensatione tolluntur. *c. fin. X. de adulter.*

Th. XXX. Foemina nupta & maritata praegnans ex alio de jure Canonico amittit propter adulterium dotem ac donationem propter nuptias & alia, quae a marito percepit. *c. plerumque 4. de don. int. vir. & ux.* Hodie quando uxor crimen est confessa judicialiter, vel publice cum adultero cohabitat, tunc potest propria autoritate domo expelli a marito, alias non, sed debet expectari sententia judicis. Covarruv. *tom. 1. de matrim. p. 2. c. 7. §. 5. n. 15.* Per Constitutionem Electoris Augusti *20. p. 4.* mulier, quae vivente marito, cum alio publice sponsalia contraxit, & praegnans ex eo facta est, gladio punitur. Idem obtinet, si ambae personae in conjugio vivunt, quae crimine adulterii duplicati, der Ober-Hurerey sunt convictae. Quando vero impraegnator solutus cum uxore mariti adulterium commisit, ipse capitaliter punitur, ast uxor adultera in hono-

rem matrimonii impunis dimittitur, si maritus ipsi gratiam delicti fecerit. Nec cuiquam mirum videbitur, adulteros tam gravem subire pœnam, si æqua mente pensaverit sceleris magnitudinem. (1.) enim divinam contemnunt autoritatem. (2.) alieni thori sacra violant. (3.) posterorum honestatem reddunt ambiguam. (4.) faciunt, ut ad alienos clam ac nefarie aliquando honorum perveniat successio seu hereditas.

Th. XXXI. Q. *Utrum mulier adultera teneatur revelare filium, quem ex adultero suscepit, & quomodo debeat satisfacere?* Distingu. cum Pan. *in c. officium 2. de pœn. & remiss* aut nullum imminet periculum, & verisimiliter ipsi creditur, vel potest probare & sic tenetur revelare, aut non potest probare, nec ipsi credetur, & sic non tenetur, quia crearet scandalum sine aliqua utilitate. *arg. c. plerumque boni. 27. C. 2. q. 7.* Aut imminet periculum ipsi aut alteri & sic non tenetur, quia in non revelando solum periculum rerum versatur. Et inter duo mala minus est eligendum *c. 1 dist. 13.* Satisfaciat igitur de suo, quantum potest, damnificatis, sicut sunt, qui nutriunt puerum, vel privantur hereditate propter ipsum & doleat, non posse plene satis facere, & si ipsa non potest satisfacere, tenetur adulter, si scit vel probabiliter credit, quod sit ejus filius, si modo id facere possit, sine scandalo. *arg. c. fin. de injur.* alias non D. Præses in collegio Publ. *ad Regul. Jur. Pontific. in 6to disp. 2. exempl. 10.*

Th. XXXII. Q. *An mulier, quæ virum suum longo tempore absentem vita esse functum arbitrata, alii nupsit, sit punienda de adulterio?* Resp. quod non, siquidem certum nuncium de mariti morte acceperit, vel etiam aliter fama publica interveniente, probabiliter credere potuerit, illum defunctum esse. Ut autem legiti-

gitime prægnans sit ex novo marito, requiritur, ut, dum conjugis obitum prætendit, duos producat testes, quibus certo constet de obitu, licet ipsum cadaver non viderint. Nonnunquam tamen unus testis omni exceptione major supplet numerum reliquorum, si scil. maritus in acie occiderit, tumultuante mari naufragio mersus sit, aut morbo contagioso expiraverit v. *Nov. 117. c. 11.* interim tamen depositio non perplexa, sed solida erit, quod viderit mortuum, quod sepulturæ interfuerit. Tutissimum fuerit testimonium, si Magistratus loci, si libri Provisorum Ecclesiæ, quibus nomina, sepultorum inscribi sueverunt, de obitu testentur. Add. Carpz. *l. 2. Consist. t. 9. d. 166. 168.*

Th. XXXIII. *Quomodo consulendum conscientiis, si desertor uxoris redeat, & uxorem suam, quæ vivo ipso, alteri nupsit, repetere velit?* Resp. si maritus absque dolo malo Reip. vel negotiationis causa tamdiu emanserit, etiamsi citatus fuerit, retento interim affectu maritali, & docere queat, citationem in notitiam suam non pervenisse, mulierque citra Magistratus autoritatem & consensum, cum alio contraxerit, tunc tenetur uxor, relicto novo marito; priori illi cohabitare, etiamsi ex posteriore etiam liberos susceperit. Ita ex *Luthero tom. 5. Jen. Germ. lib. de caus. matr.* Balduin. *lib. 4. Cas. Consc. c. 13. Cas. 8.* sin sine honesta & probabili causa malitiose discesserit, neque comparuerit legitime citatus, uxor interea ab ipso judicialiter absoluta, & aliud conjugium ei concessum fuerit, non audiendus, sed in exilium mittendus est. Quod si e contrario maritus desertus ab uxore cum alia persona contrahat, ante factum divortium eamque imprægnet, puniendus arbitrarie venit, quia non expectavit judicis sententiam; non capitaliter, quia reme-

medio uſtionis privatæ maluit matrimonium contrahere, quam luxurioſe vivere. Havem. *Gamol. Synop. l. 4. t. 6. poſſ. 25.*

Cap. VII.
De
Vidua Prægnante.

SUMMARIA.

Th. I. Ratio connexionis. II Si vidua ex marito ſe prægnantem aſſerit; quid, juxta edictum Prætoris, agendum. III. Ceremoniæ adinventæ ſunt jure civili, ne fraus committatur. VI. Quid hodie, circa ventris inſpectionem, in matribus, præprimis nobilibus, quæ prægnantes, poſt defunctum maritum, aliquando petunt immiſſionem in bona feudalia, ſit obſervandum? V. Si mulier doloſe in poſſesſione verſatur, qualia remedia competant? VI. Quando ſit præſumptio ſuppoſiti partus. VII. Pater naſcituris, æque ac jam natis, tutorem dare poteſt. VIII. Si ſtatutum dicat, quod Camerarii debeant eſſe 40. poſteaque numerus fuerit ad 38. reductus, cum clauſula, ut ſi quis ex iis moreretur, debeat ſurrogari alius de genere ultimo morientis, utrum, ſi ex iſto ultimo non eſt natus aliquis, ſed in ventre adhuc eſt, jam nati ex aliis debeant hunc expectare? IX. Quid ſi in pactis dotalibus & teſtamentis habeatur conditio: ſi ſine liberis quis deceſſerit, an hæc conditio defeciſſe videatur uxore prægnante relicta? X. Naſcituri olim poterant exhæredari, hodie vero non item. XI. Si quis mortuus ſit, relicto uno filio & uxore prægnante, ob incertum naſcendorum numerum, quartam tantum partem petere poteſt. XII. Ut autem partus ſuccedere hæreditatem

trans-

transmittere possit, opus est, ut vivus fuerit natus. XIII. Posthumus, si debito tempore ac modo naturali fuerit natus, in dubio censetur vivus natus. XIV. Septimo, nono & decimo mense nati maxime vitales sunt. XV. Si mulier, post primi mariti obitum statim nupserit alteri, & nono mense filium peperit, utrum talis censeatur conceptus a primo vel secundo marito? XVI. Si in decimo mense, a tempore mortis, & non a tempore secundi matrimonii, etiam præsumendus est partus ex primo marito. XVII. Quid sentiendum de partu undecimestri? XVIII. Partus, qui post undecimum mensem annotari a Medicis leguntur, numerantur inter ea, quæ rarissime eveniunt. XIX. Fabulæ sunt, quæ de 13. 14. & 15. & ultra referuntur mensibus natis. XX. Vidua intra luctus annum nubens, de jure Civili fit infamis: Ea tamen pœna Jure Canonico sublata censetur. XXI. Si fœmina virum non habens, cum proprio servo se commiscuerit, quomodo de jure Justinianeo puniatur; quomodo vero, de jure Saxonico? XXII. Pœna carceris imposita plerumque mutatur in pecuniariam. XXIII. An feudo possit privari Vasallus viduam Domini imprægnans?

Th. I.

HActenus prægnantiam fœminæ, quæ constante matrimonio conspicitur, juribus, quæ illam afficiunt, interpolavimus nunc eandem, quatenus a marito separata per mortem est, perpendiculabimur. Dicitur autem tunc vidua prægnans vel ex *marito* prædefuncto, vel ex *alio*.

Th. II. Priori modo spectata, si mulier ex marito se prægnantem asserat, ex Prætoris edicto quinque mulieres adhibendæ sunt, non per viduam, sed per judicem electæ, ut inspiciant, an sit gravida vidua: & debet domus hone-

honestissimæ fœminæ seligi, ubi pariat: & ante dies 30. quam parituram se putet, ipsa intimabit his, quorum interest, non nasci, ut mittant, si velint, qui custodiant ventrem: & in conclavi, in quo paritura erit mulier, plures aditus, quam unus, non esse debent; & ante januam tres custodes ponendi, & partus tempore quinque mulieres duæque obstetrices probatæ fidei adsciscendæ, quas omnes excuti convenit, ne qua alia, in eo conclavi, sit prægnans fœmina, & noctu tria lumina ad minimum ibi debent esse. Præterea exigitur, ut jam natus partus iterum inspiciatur. *l. 1. §. 10. de inspic. vent.*

Th. III. Quæ ceremoniæ jure Civili adinventæ sunt, ne fraus committatur aut alienus partus heresve subjiciatur, quod crebro accidit. Also erzehlet Mart. Zeiler. *cent. 4. epist. 4.* aus des Joh. Isac. Pontani *Hist. Dan. l. 9. p. 585.* folgendes: Daß Axel-Broders Wittib, vornehmen Geschlechts, weil ihr Herr keine Kinder verlassen, sich gestellet, als ob sie schwanger wäre, und dahero den Bauch auftreiben lassen; hernach sich zu Bette geleget, dero etliche aufgewartet, die da fürgegeben, wie daß sie ein Söhnlein gebohren, so gelebet und getaufft, hernach aber gestorben und begraben worden; und daher habe sie ihres Ehe-Herrn Güter behalten. Aber endlichen sey dieser Betrug an den Tag kommen, indem Axels Befreundte, so einen Argwohn gehabt, erhalten haben, daß das Kind wieder ausgegraben worden; da man denn nur einen ledernen Sack gefunden, der mit Sand also ausgefüllet gewesen, daß er die Gliedmassen und Form eines Menschen vorgestellt. Daher die Wittib und alle die, so üm diesen Handel Wissenschafft gehabt, zum Tode verurtheilet; aber doch endlich diese Sache in Gegenwart König Erichs und vieler vornehmen Herrn verglichen und beygeleget worden sey.

Th. IV.

Th. IV. Hodie quamvis illarum solennitatem scrupulositas non servetur per omnia, frequentatur tamen adhuc ventris inspectio in matribus, præprimis nobilibus, quæ prægnantes post defunctum maritum aliquando petunt immissionem in bona feudalia. Hahn. *ad Wesenb. tit. de inspic. vent.* Quatuor autem desiderare mater debet (1.) ut ventris seu partus inediti nomine in possessionem mittatur. *t. t. ff. de vent. in poss. mitt.* (2.) ut ventri seu bonis curator detur, qui viduæ præstet alimenta, habitationem & ad edendum partum alia necessaria, pro facultatibus & dignitate mariti defuncti; nec enim fas est, ei denegare alimentum, qui nascendo dominus bonorum est futurus & de quo spes est, fore, ut Reip. nascatur. *l. 1. §. 2. & 15. ff. eod.* quo facto, tamdiu est in possessione venter, donec pariat, vel omnino constet, eam non esse gravidam. *l. 1. §. 19. & pen. d. t.* adde *textum Jur. Sax. art. 38. lib. 3.* ubi dicitur: Das Weib soll man nicht verweisen aus des Mannes Gütern, wann er stirbt, die ein Kind trägt, eher denn sie des Kindes genesen. Non tamen alienare, nec immutare, nec permutare quicquam ex iis matri bona prædefuncti mariti concessum, sed tanquam nuda usufructuaria, in iis ita versari debet, ut omnia liberis relinquantur integra. Dav. Mev. *ad Jus Lub. p. 2. t. 2. art. 8. n. 52. 53. & seq.* (3.) ut fiat inventarium & (4.) ut filius, si nascatur, per triennium apud eam educari debeat. Hahn. *ad Wesenb. t. de inspic. vent.*

Th. V. Quod si mulier dolose in possessione versatur, duplex remedium proponitur. Unum est interdictum, quod datur ei, cujus interest, contra possessorem, ad quem dolo mulieris possessio venit, ut illa cedat: nec enim propria autoritate potest expelli. *l. 1.*

 §. 1.

§. 2. si vent. nom. mul. in poss. miss. ead. poss. dol. mal. in al. transl. esse dic. Est autem hoc interdictum peculiare, adeoque nec Quorum bonorum, ut putat Wesenb. *in paratit. h. n. 3.* siquidem possessor possidet pro tradito a muliere, nec etiam interdictum. Ne vis fiat ei, ut vult Coll. Argent. quia venter in possessionem missus est, atque contra mulierem interdictum hoc non dirigitur. Alterum remedium est actio in factum, perpetua, adversus mulierem, competens ei, cujus interest, possessionem ab ea in alium translatam non esse. D. Lynker. *in dict. ad h. t.* Sin vidua, calumniæ causa, possessionem adepta sit, sciens prudensque, se minime prægnantem esse, Prætor actionem in factum dat contra illam ejusque parentem, ei, cujus interest, mulierem in possessionem non esse missam, ad partis agentis interesse *l. un. §. 1. 2. 4. 5. & 6. ff. simul. vent. nom in poss. cal. caus. esse dic.* & cum talis mulier non heredem solum, sed Prætorem simul deceperit, idcirco haud tantum illa, quæ, cum suæ potestatis esset, hoc fecit, sed etiam pater, qui calumniæ causa passus est, filiam, quam in potestate habebat, ventris nomine in possessionem mitti, notatur infamia. *l. 15. 16. 17 & 19 de h. qui not. infam.*

Th. VI. Cæterum præsumptio suppositi partus erit, si mulier, postquam asseruit, se prægnantem, nunquam passa sit ventrem ejus inspici, nec fuerit ejus venter custoditus, nec postea tempore asserti partus, sit adhibita præsentia personarum, prout a jure requiritur, nec appareat, quod aliqua persona interfuerit. Masc. *de Probat. Vol. 3. Concl. 1147. num. 12.* Item si quis deponat, vidisse se decidere, de ventre mulieris, eo tempore, quo se gravidam asserebat, parvam quandam culcitram: præsumitur enim illam, ea de causa, utero imposuisse, quo is tumidus appareret. Neque novum est, mulieres, quæ ad inspiciendum ventrem

arcess-

arcessitæ sunt, minus peritas esse, aut non integras, imo suspectas. Fieri namque potest, ut illa, quæ asseritur fuisse prægnans, habuerit ventrem durum & tumefactum ex alio morbo. Præterea si inspexerint & tetigerint uterum tectum veste vel etiam interula, potuit mulier aliquo superimposito, reddere ventrem suum tumidiorem: nec plena fides eis esset adhibenda, etiamsi dicerent, dum tetigerunt, se sensisse puerum in utero: quia si mulier voluit se fingere gravidam, potuit etiam tunc trahendo spiritum, movere ventrem, & ita movendo dicere tangenti, sentis ne? & eam inducere ad credulitatem. *Id n. 16.* Amplius si mulier post mortem mariti, se nunquam prægnantem dixerit, per longum temporis spatium: mulieris enim citissime prægnantes cognoscuntur, saltim post duos menses a die conceptionis. Idem si tempore, quo mulier ait, se peperisse, nullus adfuerit. Denique si filius, quem se modo peperisse affirmat nullo modo patrem matremve ne ex ore quidem referat. *Id. n. 17.*

Th. VII. Tantum de suppositione partus; jam de nascituro, qui triste patris funus, ventre materno inclusus, experiri cogitur, aliqua ut delibemus, materiæ suadet ratio. Scilicet illi non minus, quam jam natis testamento tutor a patre dari potest. §. *cum autem. 4. Inst. de tutel. l. 1.* §. *1. de testam. tut.* adeo, ut si quis filiabus suis, vel filiis tutores dederit, etiam posthumæ vel posthumo dedisse videatur. §. *fin. Inst. qui test. tut. dari pos.* Idem sentiendum, si posteris dederit. *d.* §. Non obstat. *l. 161. de V. S.* quæ explicari potest ex *l si nemo. 19.* §. *fin. de test. tut.* nam testamento tutor datus tunc fit, cum partus fuerit editus. *d.* §. *fin* eo non nato, utilis negotiorum gestorum actio adversus eundem datur, de iis, quæ

interim gessit. *l. 29. de N. G. l. 24. de tut. & rat. distrab.* Restringimus vero hanc tutoris dationem ad patrem duntaxat. Magistratus enim ventri non tutorem, sed tantummodo curatorem dare solet. *l. 20. pr. ff. de tut. & cur. dat.*

Th. VIII. Q. Quid juris, *si statutum dicat, quod Camerarii debeant esse 40. postea fuerit iste numeris ad 38. reductus, cum clausula, ut si quis ex iis moreretur, debeat surrogari alius de genere ultimo morientis, utrum, si ex isto ultimo non est natus aliquis, sed in ventre adhuc est, jam nati ex aliis debeant hunc expectare?* Resp. quod non, favore Collegii secundum Oldrad. *l petitionem. 13. de advoc. div. judicic. & l. 1. C. de agent. in reb. lib. 12. t. 20.* vid. Bald. *ad l. Idem erit. 16 rel 1. de stat. hom.*

Th. IX. Si in pactis dotalibus & testamentis conditio (*si sine libris quis decesserit*) adjici soleat, & ego scire aveam, an hæc conditio defecisse videatur, uxore prægnante relicta, tunc enim respondetur, quod non, per *l. 187. d. R. J* ibique Dn. Præses *in Colleg. publ. part. 2. Disp. 17. exempl. 1. & seqq.* ratio est in *l. 23. de V. S.* Fallit tamen istud, si partus non edatur, aut mortuus nascatur, tunc enim perinde est, ac si in vivis nunquam fuisset. *l. qui mortui 139 ff eod.* cum partus non editus homo non recte fuisse dicatur. *l in Falcidia. 9. ff. ad L. Falcid.*

Th. X. Quoad successionem notandum, quod nascituri olim poterant exheredari. *§. 1. Inst. de exher. liber. l. 14. de lib. & posth.* (quod si tamen pater exheredaret filium nasciturum, & nasceretur filia, non censebatur exheredata, quia in odiosis masculinum non concipit fœmininum Gl. *c generali constitutione. 13. X. de elect. & elect. pot.*) sed textus illi emendati sunt per subsequentes Justiniani constitutiones in *l. maximum vitium. 4. circ. f.*

C. de

C. de lib. præter. §. *sed hæc quidem 5. Inst. de exher. liber.* & *N. 115, c. 5. in pr.* & testamentum irritum sit, ita tamen, ut legata & fideicommissa in testamento relicta conserventur. *d. Nov. c. 3.* quod volunt procedere, quando scienter præteriit posthumum testator. In dubio tamen potius scientia testatoris, quam ignorantia præsumenda est, cum imprægnatio tale sit falsum, quod ex ventre intumescente vix ignotum esse potest, in quo magis scientia præsumenda. Carpz. *l. 6. Resp. 10. n. 13.* Hodie quia ingratitudo in illos nullo modo cadit, posthumi exheredari non possunt, sed exheredati testamentum nullum faciunt. Carpz. *p. 3. C. 17. d. 21.* imo legitima heredites ipsis debet restitui *l. 26. dest. hom.* & (modo inter suos heredes, cum nascerentur futuri) heredes instituendi Carpz. *p. 3. const. 18. d. 27.* Unde non solum in allodialibus, sed etiam in feudalibus succedunt. Schultz *in Syn. Inst. tit. de her. q. ab int. def. lit G.*

Th. XI. Quod si pater familias mortuus sit relicto uno filio & uxore prægnante, tunc ille filius neque a debitoribus neque ex hereditate a patre relicta partem dimidiam crediti, vel hereditatis petere potest, sed quartam tantum partem, ob incertum nascendorum numerum, quippe cum tergemini interdum procreentur, desiderare bebet. *l. sed & si 28 §. fin ff. de jud.* ita ut si postmodum unicus nasceretur, reliquæ duæ partes duobus accrescerent. *l. 3. & ff. si pars hered. pet.*

Th. XII. Ut autem partus succedere possit, opus est, ut vivus fuerit natus & cum spiritu editus. *l. quod dicitur. 12. §. 1. de lib. & posth.* Ulterius enim nihil requiritur, quam ut vivus processerit, ad nullum declinans monstrum vel prodigium. *l. quod certatum est. 3. C. de posth. her. inst.* Hinc etiam nasciturus, præteritus a testa-

tore rumpit testamentum patris, & ei succedit, hereditatemque ad matrem transmittit, quamvis non emiserit vocem, sed illico in manibus obstetricis decesserit, dum modo vivus ad orbem processerit, etsi partum integer, sed cum spiritu tantum editus fuerit. *l. 2. & 3. C. eod. l. quaret. aliquis. 133. ff. de V. S.* hinc si partus nondum sit perfectus, & sexto forsan mense editus, patris ei hereditas nihilominus debetur, si modo spiritum habuerit validum Phil. *in usu pract. ad Inst. lib. 3. Eccl. 1.* quod si alii testes haberi nequeunt, sufficit testimonium mulierum, quæ interfuerunt tempore partus, secundum *Gl. in* Weichbild *art. 35.* Nec amplius observatus rigor *Juris Saxon.* in Lehnrecht *art. 20.* Wann der Sohn nach des Vaters Tode lebet also lang, daß man seine Stimme hören mag in den vier Wänden des Hauses, so ist er beerbet mit seines Vaters Lehen. Aliud est, si infans in ipso partu sit mortuus, tunc enim neque succedere, neque hereditatem ad heredes transmittere potest, quippe quod vivus ad orbem non venerit, nec cum spiritu editus fuerit. Carpz *p. 3. c. 17. d. 16.*

Th. XIII. Q. vero, *qnando posthumus censeatur vivus natus?* Dicimus, posthumum si debito tempore ac modo naturali fuerit natus, in dubio censeri vivum natum, non veto si tempore intempestivo vel etiam a matre pestifero morbo laborante, Carpz. *p. 3. Const 7. d. 20.* tunc enim partus non præsumitur vixisse, sed potius veneno necatus, ut merito vita ejus probari debeat.

Th. XIV. De successione posthumi satis superque actum; superest, ut pariendi tempora excutiamus aliquatenus. Supponere hic libet, quod, quanquam in rerum natura certum sit, natos septimo, non & decimo mense maxime vitales esse, per testes tamen & signa nullo modo

lo modo fieri posse videatur, ut possit probari, nisi forte honesta aliqua filia contracto matrimonio, duobus primis diebus, ex viro prægnans remanserit, postmodum statim mortuo, si hæc pareret septimo, octavo, nono vel decimo mense, cognosci enim & judicari tunc potest saltim præsumptione juris tempus partus, aliter non.

Th. XV. Q. itaque, *si mulier, post primi mariti obitum statim nupserit alteri, & nono mense filium pepererit, utrum talis censeatur conceptus a primo vel secundo marito?* Sane jure Suecico vidua prægnans, si infra decimum mensem a morte mariti pepererit, succedit cum infante in bonis mariti: secus si post illud tempus, tunc nec pro herede quidem agnoscitur. Dist. aut apparent signa conceptionis & illa consideranda & sequenda sunt: aut non apparent signa, & tunc standum erit consuetudine mulieris, in quanto tempore consuevit parere, sin autem id nôn constat, ad Medicorum vel obstetricum judicia recurrendum, jung. Zeil. *cent. 4. q. 39.* His etiam deficientibus, quod frequentius accedit, accipiendum est. Mich. Graff. *thesaur. comm. opin. Vol. 2. p. 148. col. 3.* vid. D. Præses *dissert. de Odio secundarum nuptiar. cap. 3. th. 3. & seqq.* ubi pro filio ex priore marito nato esse pronunciandum per rationes in utramque partem adductas deducit.

Th. VVI. Quod si in decimo mense a tempore mortis & non a tempore secundi matrimonii, etiam præsumendus partus est ex primo marito: in dubio autem standum confessioni matris & omnes circumstantiæ graviter ponderandæ, an partus repræsentet faciem primi vel secundi mariti, item an primus maritus fuerit firmæ valetudinis, nec ne Beust. *ad l. 3. de jurejur. n. 36.* Neque Glossa *in l. Gallus. ff. de lib. & posth.*

ibi:

ibi: decem mensibus, dicens, hominem generare posse etiam ea nocte, qua moriturus est, simpliciter voluisse videtur, quem qualicunque morbo affectum generare posse, sed duntaxat innuisse, dari casus, ut quis uxorem suam cognoscat, illico autem repentino quodam morbo moriatur, adeoque tunc, ne uxori injuria nascatur, computandi sunt dies conceptionis posthumi a die mortis, ac decem menses possunt admitti. vid. Zacch. *l. 3. t. 1. q. 4. n. 11. & 13.* Alioquin in universum causam, cur mulieres ultra decimum mensem regulariter non gestent uterum, assignant hanc, quod alimentum & augmentum a matre descendens non amplius sit sufficiens partui, ubi decem menses præterierunt & fœtus auctus fuit. Trahit enim, quod dulcissimum est in sanguine, ad sese. Hippocr. *in lib. de nat. pueri seu fœt. circ. fin.*

Th. XVII. De partu undecimestri major controversia agitatur. Legitimum eum quidem esse tradiderunt Plin. *lib. 7. c. 5.* Forest. *lib. 28. Obs. c. 62* Amat. Lusitan. *cent. 1. curat. 27.* Nos cum limitatione hoc accipiendum putamus, si scilicet nascatur sub initium undecimi mensis, primo vel secundo die. Bartol. *ad l. 7. n. 1. de Stat. hom.* Gothofr. *ad Nov. 39. c. 2.* si cætero spatio, spuriis accensemus. Interim tamen vita & mores viduæ respiciendi, & si proba fuerit, potius dicendum, si serius enixa sit, ipsam quidem a marito concepisse, sed fœtum a natura propter tristitiam tardius fuisse formatum. D. Amm. *in disc. ad cas. 29.* Hinc etiam tempore intermedio partum undecimestrem haberi nonnunquam pro legitimo, meminit Carpz. *l. 2. Consist. d. 227.* & Beust. *p. 2. de matrim. c. 36.* talem puellam a pudica quadam matrona etiam ad hereditatem patris admittendam Wittebergenses 1667. statuisse, narrat. Hæ itaque sententiæ tutiores sunt, quando

do nulla uspiam nidulatur mala suspicio, & quando pariens puellam enititur. Tunc enim in dubiis mitiorem sequimur sententiam, ne ulli fiat injuria.

Th. XVIII. Partus, qui post undecimum mensem annotati a Medicis leguntur, numerantur inter ea, quæ rarissime eveniunt. Sennert. *l. 1. Inst. Med. c. 10.* Mynf. *cent. 6. obs. 40.* & natum duodecimo mense post obitum mariti Lipsienses pronunciarunt pro illegitimo apud Georg. Beat. *P. 2. t. p. 6. 163. hunc in modum :* Wann solch Kind lebt oder nicht, so kan es doch vor eures Bruders Kind noch Erbe nicht gehalten werden, V. R. W. Quicquid pro excusando eo afferat Bartol *in l. Gallus. n. 12. delib. & posthum.* Ob prægnantes tamen circumstantias quandoque aliter sententionari solet, sic circa finem anni 1679. judicatum Lipsiæ fuit pro filio, qui natus post duodecimum mensem erat, quia (1.) fœmina statim post mortem mariti dixerat, se esse gravidam (2.) omnes vicini testimonium perhibebant, quod vixerit caste, neque ulla præsumptio contra ipsam aderat, rem & conversationem cum aliis habuisse eam; fœmina tamen insuper juramento se purgare compulsa fuit, filium esse a defuncto marito, ut cognovimus ex discursu Dn. Dr. Joh. Alex. Christens super Strauchii dissertationes Justinianeas Lipsiæ habito *diss. XI. th. 37.* Habemus quoque casum, apud D. Amman. *in Med Crit. resp. 44* ubi Lipsiensis Facultas Medica partum duodecimestrem (13. Tage noch drüber) Marthæ Plattin, Calegiensis, dero Haußwirth vorm Jahre nach Michaelis, als Er noch des Tages zuvor mit Ihr an den Tische gesessen, gestorben und sie nach seinen Tode ein Jahr und 13. Tage eines Töchterleins genesen, Anno 1638. legitimum pronunciavit, ex ea ratione, quia mulier, per trimestre spatium, dolores parturientium continuos, absque jactura virium pertu-

M lerat

lerat; verum responsionem illam in favorem matrimonii datam haut mala suspicatur D. Amm. *in disc. ad eund. cas.* ubi plures dubitandi rationes recitat.

Th. XIX. Quæ denique de partibus decimo tertio, decimo quarto & decimo quinto mense natis, item de infantibus viginti tres menses, biennium & quadriennium in utero gestatis refert Joh. Schenck. *l. 4. obs. Medicin. 156.* 157. 158. 159. & 160. ex anilibus fabulis desumpta esse videntur, nec ullam veri speciem habere. Quo pertinet lepida historia, quam exponit Georg. Phil. Harßdörffer in dem Schauplatz Lust- und Lehr-reicher Geschichte. *hist. 152.* Nimirum Hieronymus Augustus de Montelon, Nobilis Gallus, haud procul Gratianopoli (Grenobel) feudum Aiguenere gratia Regis possidens, cum in Alsatiam cum Cardinale Velettio profectus esset ibidemque diem suum obiisset, uxor ejus interea, post absentiam mariti quadriennalem, filium edidit, quem mariti cognomine insignire & in prædium paternum ingerere summo studio annitebatur, cui contra leviri maximopere renitentes, Emanuelem (putatitium agnatum) judicialiter pro spurio declarandum curarunt. Verum non acquievit mater, sed ad Parlamentum appellavit, quod, annulata prima sententia, Emanuelem legitimum & justum in feudo successorem, matremque honestam fœminam scripto asserere anno 1637. d. 14. Febr. non dubitavit. Aliquot annis post Sorbona Parisiensis hoc summum decretum cacellavit & scandali amoliendi causa, illum bastardum judicavit, addita non levi reprehensione in Gratianopolitani parlamenti Auditorio, qui pro fundamento adduxerant, quod Magdalena, mater dicti pueri, ingenti cum confidentia dixisset, sibi aliquando circa diluculum maritum per quietem apparuisse ac secum rem habuisse, ita ut ex illo tempore, citra maris alterius

alterius operam, vi solius imaginationis concepisset. Cui impudenti sermoni quam plurimorum hominum ad id subornatorum subleſtum teſtimonium acceſſit, utpote quatuor obſtetricum & totidem Doctorum Medicorum Monspeſſulanorum (zu Montpellier in Languedoc) quorum ut & Sorbonenſium rationes legeſis apud Harßdörffer, *cit. loc.*

Th. XX. Tantum de vidua ex marito prægnante: reliquum eſt, ut gravidam ab *extraneo* videamus: Ut ut enim nullus exiſtat maritus, qui non & ſuam mortem ab uxore doleri velit & ſe deſiderari, averſenturque illam cuncti, quæ poſt primum maritum adhuc profitetur, ſe alterum expetere, homini nubens; ſimul vidua, & conjunx & adultera, inveniuntur tamen haut paucæ mulieres, quæ vitia utcunque in conjugio diſſimulata impetu effundunt, adempto Viri obice, quo cohibeantur, & pudorem ſuum alienis proſternunt libidinibus contra *l. fœdisſimam. 2. C. ad L. Jul. de adulter.* oſtendentes, quales natura vel moribus ſint, cum tantum licere poſſit, quantum libeat. Joh. Lud. Viv *de Chriſti fœm. lib. 3. c. 4. in fin.* Contra quem enormen vivendi modum inſurgentes legiſlatores, conſtituerunt prudentiſſime, ut vidua, intra luctus annum nubens, incurrat infamiam & amittat ea, quæ a priori marito relicta ſunt. *l. 1. cum Auth. ſeq. C. de nupt.* ne fieret conturbatio ſanguinis. Quam tamen pœnam Jure Canonico ſublatam eſſe conſtat, adeo, ut legari ei aliquid & heres inſtitui poſſit per *l. pen. & fin. X. de ſec. nupt.* imo intra annum nubere poterit, ſi intra 6. vel 4. menſes non appareat, ex ventris tumore vel aliis conjecturis, eam prægnantem eſſe, aut ſit ſenex aut ſterilis. Bald. *in l. decreto 15. C. qui not. infam.* Sicut quoque vidua ſcortans vel luxurioſe

se vivens de Jure Saxonico non amittit dotalitium. Landrecht, *lib. 1. art. 5.* Ein Weib mag mit Unkeuschheit ihres Leibes weibliche Ehre kräncken, ihr Recht verleust sie aber nicht, noch ihr Erbe, (Aliter tamen de jure civili cum ipsa hoc casu proceditur. *Auth. eisdem pœnis C. d. secund. nupt.*) nec ab heredibus mariti potest repelli dotem petens, per exceptionem de fornicatione. Carpz. *p. 4 const. 11. d. 7.* aliud est, si maritus adulterium uxoris sciens, idque indignatus, eam expulerit vel de eo conquestus sit, morte autem præventus vindicare non potuerit, tunc heredes lucris eam privare possunt. Id. ib. *d. 4. & 5.*

Th. XXI. Si fœmina, virum non habens cum proprio servo se commiscuerit, de Jure Justinianeo decapiatur & servus comburitur. *l. un. C d. mulier. quæ se propr. serv. junx.* Hodie matrimonium inter servum & liberam fœminam contrahi posse liquet, ex tot. t. *X. de conjug. serv.* Jure Saxonico vidua, quæ, post viri obitum se impraegnari passa est, pœna stupri tenetur vigore *Constit. Elect. 27 p. 4.* & pro ratione circumstantiarum 8. vel 14. dierum incarceratione punitur. *Ordin. Elect. Ecclesiast. tit.* Von Ehegelöbnissen. *rubr.* Von Straffe des Ehebruchs und der Unzucht. §. Würde denn Carpz *p. 2. Crim. q 69. n. 10. 11. inprimis n. 13. & 15.* quæ pona quamvis juxta Carpzovium in foro Electorali in pecuniariam converti non eossit. Id *d. 9. n. 17.* contrarium tamen receptum hactenus in Ducatu Magdeburgico per *Constitutionem provincialem* in der Magdeburgischen Policey-Ordnung *cap. 46.* Von Ehebruch, Hurerey und Unzucht, quæ alternativam pœnam carceris aut pecuniariam ponit. §. Da aber eine ledige Mannsperson eine Jungfrau oder eine unberüchtigte Wittwe beschläfft und dieselbe zu Ehe nicht nehmen will, so soll er sie ihres Standes und Herkommens

nach

nach dotiren, und da sie von ihm Leibes-Frucht hat, dieselbe auf Gerichtliche Ermäßigung alimentiren, und darüber mit Gelde oder Gefängniß oder mit Räumung des Hertzogthums gestrafft werden.

Th. XXII. Pœna carceris imposita plerumque mutatur in pecuniariam, ita, ut juxta Carpzovii tradita *prax. crim. p. 3. q. 133. n. 47.* pœna carceris 3. dierum judicetur multa unius sexagenæ novæ, pœna carceris octidui tribus vel ad summum 4. sexagenis novis æstimetur; hinc etiam viduæ cuidam pœnam carceris 14. dierum dictatam fuisse memini, eo, quod majus scandalum præbuerat, tanquam fœmina tantum non quadragenaria, & insuper virum suum Consularis dignitatis demortuum ac propinquos honoratos dedecora affecerat, quæ postmodum fuit mutata in 8. sexagenas novas seu 20. Unciales, quam pœnam etiam confirmarunt Scabini Lipsienses in responso suo d. 29. April. 1673. Daß es der angekündigten Straffe der 14. Tägigen Gefängniß oder 20. Thaler Straffe der V. Wittwen Einwendens ungeachtet, billich verbleibet, und ist, in Verweigerung, mit zulänglicher execution wieder sie zu verfahren, V. R. W. imprægnanti vero J. C. B. dictata fuit pœna 30. Thalerorum aut 25. baar, quam postmodum 20. Joachimicis redemit. Quæstio hic incidebat, quoniam hæc causa a vidua pro matrimoniali venditabatur, quæ dicebat, se consensisse in imprægnationem, ob factam promissionem matrimonii, & quoque agebat ad consummationem matrimonii, quod tamen imprægnator negabat; *An pœna stupri exigi posset ab ipsa, priusquam causa matrimonialis decisa esset?* Ita videbatur Senatui ejusdem loci, qui etiam, sub pœna executionis, eandem postulabat, sed cum rea supplicasset Principi, super hoc puncto, per rescriptum injungebatur

batur Senatui, consilium JCtorum ut exploraret, facta igitur actorum transmissione, JCti Lipsienses mense Junio, 1673. negative pronunciarunt his verbis: Daß, ehe und bevor die Ehe-Klage zu Ende, der Kn. Bestraffung halber nichts gewisses erkant werden mag, sondern es wird bis dahin billig in Ruhe gestanden, V. R. W.

Th. XXIII. Auctarii loco disquirimus: *An feudo possit privari vasallus viduam Domini impraegnans?* Resp. distinguendo: aut illa vidua Praedecessoris est mater ipsius in proprietatem Feudi successoris, & tunc, quocunque tempore fiat stuprum, vasallus amittit feudum: quia eadem matri, quae conjugi debetur reverentia arg. *N. 150. c. 2. pr.* aut non est mater, si scil. agnatus succedat, & impraegnatio fit, aut intra tempus luctus, aut postea: illo modo, affirmatur quaestio per *Nov. 39. c. 2.* cum intra tempus luctus peccans, intelligatur in matrimonio priori peccasse per *Nov. 22. cap. 22. pr.* hoc vero nego arg. *l. 19. in f. de lib. & posthum. hebr. inst. l 24. de paen.* Idque propter rationem *in l 13 § 2. ff. ad L. Juliam de adult.* allegatam. D. Beyer *in not. ad Schnob. Disp. Feud. X. th. 14.*

Cap. VIII.

De Muliercula Praegnante.

SUMMARIA.

I. Quid hoc loco sit muliercula? II. Quomodo consideretur stuprata: Voluntarium stuprum quomodo praesumatur? Violentia quomodo probetur? III Paena stupratoris qualis sit? Analogon stupri violenti est, si quis cum foemina

mina demente rem habet Nuda assertioni mulieris stuprata, quæ se impregnatam vi dicit, credendum non est, sed in veritatem stupri violenti a Magistratu inquirendum. V. Non præsumitur vim pati meretrix a cognoscente illam, nisi probetur. VI. Affine stupri violenti est raptus. VII. Quomodo intelligendum sit, quando DD. dicunt, quod volens mulier non debeat rapi. VIII. Pergitur ad stuprum voluntarium. Q. An & quatenus credendum sit assertioni vel inculpationi gravidæ a se in partu factæ? IX. Si reus fateatur copulam, & deferat actrici juramentum, an fuerit virgo toto tempore antea, num virgo jurare teneatur? X. Q. Num mulieri vitiatæ dicenti, sibi promissum esse matrimonium ab eo, qui vitiavit illam, credatur? XI. Potest ne pregnans ex aliquo promissione facta, se ei tantum honoris restituturum, quantum intulit infamiæ, contra eundem experiri, ut pro vero matrimonio pronuncietur, si ille de honore conjugali non sensisse, sed reverentia & cultu externo affirmat? XII. Quando puella quis fidem dedit, & facta est impragnatio, antegressa coram testibus protestatione, se id, quod facturus est, contrahendi conjugis causa non facere, omnino tenetur ex promissione, non obstante protestatione. XIII. Num Nobilis ignobilem gravidatam fide de conjugio prius data, teneatur ducere? XIV. Quomodo stuprator puniendus? XV. Q si medio tempore, quo reus deliberat, utrum velit dotare, vel ducere, puella in corpus suum peccet, fornicando cum alio, an ex quo electionem auferat ducendi vel dotandi, causa cadere debeat? XVI. Si stuprata de fornicatione cum aliis sit suspecta, stupratori alimentatio infantis injungenda haud est, donec juramento se purgaverit, certumque infantis patrem indicaverit. XVII. Qui stuprum confitetur, pro patre infantis habetur, donec contrarium fuerit probatum. XVIII. Quid de Dotatione statu-

ſtatuendum? XIX. Cautela traditur. XX. Quando ceſſet onus dotandi? XXI. Quomodo monialem carnaliter cognoſcens puniatur? XXII. Mulierem Judæam vel Turcicam impragnans fuſtigatione coërceri debet. XXIII. Commatrem aut filiam luſtricam carnaliter cognoſcens arbitrariam ſuſtinet pœnam. XXIV. Si ruſticus aut vilis conditionis homuncio puellam nobilem ſtupret, virgis cæſus in perpetuum relegari debet. XXV. Q. An virgo corrupta ſertum in capite geſtare poſſit? XXVI. Agitur de inceſtu. XXVII. Ex majorum ſancito illicitum fuit adultero aut ſtupratori ullam ſtuprata aut adulteræ ſuperſtitis dictis cognationis gradibus conjunctam in uxorem ducere. XXVIII. Agitur de probibitionibus Levit. 18. contentis. XXIX. Num habens uxorem pragnantem fecerit Bertam, eique dixerit: Si non haberem uxorem, acciperem in uxorem: mox male tractaverit uxorem, ut exinde mœrore confecta ſit, Bertam ducere poſſit? XXX. Agitur de congreſſu mulierum cum brutis. Q. An naſci poſſit fœtus humanus ex permiſtione tali cum beſtiis? XXXI. Agitur de concubitu cum Dæmone.

Th. I.

MUlierculam ſumimus pro inhoneſta fœmina ductu *l. pen. ff. de ſerv. corrupt.* & comprehendimus ſub illa voce non eam tantummodo, quæ ex infirmitate lapſa & vi amoris capta, amanti virginitatis flores carpendos concedit. Vid. Wehner. *in Obſerv. Pract. voc.* Frauen und Jungfrauen, ſed & meretricem, quæ quomodo deſcribenda ſit, oppido ambigitur. Lucæ de Penna in *l. ſi qua 4. in pr. C de ſpect. & ſcen lib. 11.* apud Bajard. *in annot. ad Clari Prax. Crim.* § *Adulterium. n. 28.* dicitur illa etiam, quæ unum admiſit & mercedem ab eo recepit. *Gloſſ. in c.*

vidua

vidua 16. dist. 34. ei, quæ 40. homines admisit, prædicatum istud attribuit, juxta *c. latores. 3. de Cler. excomm.* Abb. denique in *c. inter opera. 20. in fin. X. de sponsal.* putat, eam sic nuncupari posse, quæ inhoneste duos admittat viros per *l. palam. 43. pr. de rit. nupt.* Nos illam meretricis nomen mereri statuimus, quæ palam libidinem exercens, quæstum facit, cujusque turpitudo publice venalis est. Nec quæ cum uno & altero se pecunia accepta commiscuit, videtur palam corpore quæstum facere, ut ait Ulp. *d. l. 43. §. 2.* quia verba, *quæ cum uno & altero*, duos tantum significant, quod constat ex Laurent. Vallæ annotat *l. 3. eleg. c. 59.* ac proinde abbatis opinio in c. *cum decorem. 12. de vit. & honest Cleric.* ejusque sequacium statuentinm, meretricem esse, quæ duos ad coitum, causa quæstus, nec plures admisit, concidit. Covarruv. *Tom. I. de matrim. p. 2. c. 8. §. 11. n. 4.* Aliud quoque est meretrix, aliud clam meretricio more vivens. Vid. Dan. Moller *ad Constit. 28. p. 4. n. fin.*

Th. II. Ne vero ἀταξίαν foveamus, acturi sumus de prægnante (1.) ex stupro. (2.) ex incestu. (3.) ex coitu belluino. (4.) ex Venere Dæmoniaca. Stuprata conspiciendam se præbet vel in genere vel in hoc illove personarum statu. Stupratam in genere dispescimus in stupratam respectu sui vel *voluntarie*, vel *violenter.* Voluntarii stupri non levis præsumtio ex silentio stupratæ contra mulierem inducitur. Carpz. *Prax. Crim. p. 2. q. 57. n. 87.* item si muliercula juvenem ebrium, ad libidinem, blandis verbis instigaverit. Vid. Dedekenn. *Vol. 3. Consil. lib. 2. de sponsf. sect. 4. n. 21.* Violentus stuprator etiam is censetur, qui minis & armis metum incutiendo fœminam ad libidinem compellit. Carpzov. *p. 4. C. 30. def. 6.* & Violentia probatur, si mulier magno

clamore, vel etiam voce plorante imploravit alicujus opem. Damhoud. *Pract. Crim. c. 95. n. 9.* testesque & vicini de iis deponant Bald. *in l. 1. §. 28. v. potuisse ff. ad SC. Silan.* quod tantum quoad indicium faciendum, non autem quoad probationem procedere vult Masc. *Vol. 3. Concl. 1409. n. 27.* si in sylvis oppressa est, ubi vox exaudiri non potuit, quo casu etiam testes inhabiles admittuntur, cum veritas aliter haberi non possit. Prosp. Farinac. *de testib. q. 62. n. 55.* Carer. *in Pract. Crim. de Indic. & tortura §. in textu ergo ibi, testibus superatis n. 33. p. 73.* adeoque dictum fœminæ sive majoris sive minoris per vim stupratæ facit indicium ad torturam contra stuprantem cum adminiculis. Farinac. *de ind. & tort. q. 4. n. 99.* Magnus autem favor stupri violenti, ex parte mulieris est, hinc si qua adulterata de nocte & oppressa per vim sit, quia non ausa fuit clamare, & sic ejus metus fuit conditionalis, & non præcisus, minime punitur ut adultera, nec perdit dotem. Vivius *lib. 2. decis. 241. n. 36. p. 282.* Nec virgo vi compressa pudicitiam amittit. Carpz. *l. 2. Consist. d. 237. n. 8.* aut infamis fit. *l. 20. vers. quin etiam inviolatæ existimationis. C. ad L. Jul. de adult.* nec tales liberi dicuntur ex damnato coitu nati. Id. *238. n. 5.*

Th. III. Pœnam violenti stupratoris quod attinet, est illa capitalis tam de jure communi. *l. 1. in fin. de extraord. crim.* junct. *Ordin. Crim. art. 119.* quam de jure Saxonico, per *lib. 2. art. 13. & lib. 3. art. 46. & art. 1.* qui non tantum in ipsos violentos stupratores, sed præterea in omne animal, quod tempore violentiæ illic adfuit, mortis pœnam statuit, nec tamen eo contentus, ædificia insuper prædiorum seu villarum, in quibus mulieres vel virgines violenter oppressæ, vel post factum, introductæ reperiuntur, succidi & ad terram prosterni jubet. Verba

Ger-

Germanici textus sic se habent: Um kein Ungerricht soll man niederhauen Dorffgebäude, es sey denn, daß darinne Mägde oder Weiber genothzöget worden, oder genothzöget darein geführet seyn. Et paulo post: Alle lebendige Dinge, die bey der Nothzögung waren, die soll man enthäupten. Eadem coercitio stupratoris ab electore Augusto approbata fuit *Constit. 30. p. 4.* ita tamen, ut, si mulier stupratori nubere velit; pœna mortis remittatur & stuprator in perpetuum mittatur exilium, eumque stuprata sequi teneatur; si vero mulier nuptias ejus recuset, stuprator se offerens veniam non meretur. Carpz. *ad. C. d. 7. & 8.* Analogon stupri violenti est, si quis cum fœmina demente rem habet, & talis transgressor, juxta cognitionem judicis, certam pecuniæ summam, pro sustentatione personæ miseræ persolvit, deinde post fustigationem relegabitur vigore *Const. 26. d. P.* item si Commentariensis mulierem incarceratam imprægnet.

Th. IV. Non tamen nudæ assertioni mulieris stupratæ, quæ se imprægnatam vi dicit, credendum est, sed in veritatem stupri violenti a Magistratu inquirendum. Boer. *q. 319. col fin n. 7.* Carpz. *l. 2. Consist. d. 238.* Denn eine eintzige Mannesperson kan ein Weibsbild, ohne einigen ihren Consens Willen oder Zulassung, nicht beschlaffen noch nothzüchtigen, es wäre denn ein zart Kind oder Mägdlein, oder daß er dieselbe voll getruncken, *D. Amm. resp. ult.*

Th. V. Maxime omnium non præsumitur vim pati meretrix a cognoscente illam, nec generaliter præsumitur vis in ea, nisi probetur. Limita tamen, nisi meretrix contradixisset, eo, quia illius vitæ vellet pœnitere, quod facere posset, etiamsi contrarium jurasset *l. Imperialis 23. C. de nupt.* quando nempe talis meretrix cœpisset honeste vivere; secus tamen, si non desierat meretri-

 cari,

cari, aut quidem desierat, sed tamen non vivebat honeste, quia erat facta concubina alicujus. Masc. *de probat. Vol.* 3. *Concl.* 1253. *n.* 12. & 14.

Th. VI. Affine stupri violenti est *raptus*, ubi observari oportet, quod, etiamsi blandis verbis & allectamentis adolescentulam seduxerit juvenis, tamen dicatur rapta per vim, etiamsi volens rapiatur, adeoque juvenis teneatur de raptu, nisi præsumatur, quod consenserit alteri, ut si fuisset ex alio prægnans vel ex ipso raptore: nam nisi probetur, quod per vim, non præsumitur per vim rapta, sed voluntarie per *l stuprum* 41. *in fin. edrit. nupt.* Hippol. de Marsil. *in Pract. Crim.* §. *diligenter. num.* 106.

Th. VII. Cæterum quando Dd. dicunt, quod etiam *volens mulier* non debeat rapi, præsupponunt, illam velle, quatenus ad illud velle fuit inducta ab insidiis raptoris & actibus ipsius fraudulentis, & licet de talibus fraudibus & persuasionibus non appareret, nihilominus, si allegatur, *illam volentem raptam esse*, lex præsumit, non potuisse velle, & ideo voluisse, quia fuit seducta ibi: nisi etenim illam sollicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenerit, non facit eam velle tantum dedecus, & sese perdere, & prius, quia hoc ipsum velle ab insidiis nequissimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur. Et ideo verbum *volens* capiendum de voluntate seducta, quæ est *species* violentiæ, nisi enim essent insidiæ, tantum facinus virgines non perpetrarent. *l. un.* §. 2. *C. de rapt. virg.* Idem judicandum, si mulier acceptis muneribus in stuprum consentiat; tunc enim invita potius, quam volens peccare dicitur. Dec. *Consf.* 170. *col.* 2. Etiamsi accedit ad domum viri, quia dolosa promissio & seductio est vis interpretativa. Bajard. *ad Clar. pr. Crim.* §. *stuprum. n.* 38.

Non

Non tamen immunis a pœna eſt, ſed non minus ac ipſe ſtuprator carcere puniri poteſt. Carpz. *p. 4. c. 27. d. 9.*

Th. VIII. Pergimus jam ad ſtuprum *voluntarium*, ubi explicandum (1.) quomodo merita cauſæ reſpectu imprægnatæ ſtabilienda. (2.) qua ratione ipſi a ſtupratore ſatisfaciendum ſit. Quoad prius quær. *An & quatenus credendum ſit aſſertioni vel inculpationi gravidæ a ſe in partu factæ?* v. gr. ſi ſe gravida ex aliquo prægnantem dixerit; qui tamen factam a ſe imprægnationem negat, an eadem in cauſa deficientium aliarum probationum admittatur ad juramentum ſuppletorium; aut inculpatus teneatur præſtare juramentum purgatorium, deficientibus ſufficientibus aliis indiciis, quæ ipſum de maleficio ſuſpectum facere poſſent? Negativam defendimus cum Carpz. *Prax. Crim. p. 2. q. 96. n. 54. & ſeqq.* eo quod nuda inculpatio imprægnatæ non ſufficit ad probationem factæ imprægnationis, etiamſi gravida, in partu & confrontatione, perſeveret in inculpatione ſua, veluti reſponderunt Scabini Hallenſes an Chriſtoph Heinrichen von Lochau, nach Zeitz, d. 16. Aug. 1663. verbis: Hat Chriſtina Müllerin, als man ſie in der Beſichtigung ſchwanger befunden, und gefraget, von weme ſie zu Falle gebracht, auf den Reit-Knecht, Hanß Sittigen bekandt, und iſt nun der Geburt, und in der Confrontation bey der Auſſage, beſtändig verblieben, es will aber der Reit-Knecht ſolches nicht geſtehen, daher ſie ſich zum Cörperlichen Eyde erbothen; Ob nun wohl dergleichen delicta carnis in occulto verbracht werden, dahero durch Zeugen ſchwerlich zu beweiſen, dieweil aber dennoch die bloße Bezüchtigung nicht genug iſt, ſo mag gedachte Chriſtina Müllerin, dafern ſie nicht andern Beweiß hat, des anerbothenen Eydes halber nicht zugelaſſen werden, auch iſt Hanß Sittigen ſein Gewiſſen, in Man-

gelung kräftiget Indicien zu reinigen nicht schuldig. V.R.W. Videmus itaque non credi mulieri cum juramento, asserenti se esse prægnantem ex semine alicujus, cui prætereà intendit partum adsignare, uti suum, & se exonerare alimentatione fœtus. Neviz. *in sylv. nupt. p. 17. col. 4. in pr.* Bertaz. *lib. 5. cosinl. 157.* Boer. tamen. *q 299. n. 12.* dicit, hoc esse verum in istis mulieribus, ad quas passim a pluribus acceditur: & etiam in his mulieribus, quas quis, pro suo arbitrio habere non potest, sed furtive tantum: Secus in concubinis vel alias retentis in domo, quia eo casu mulieris dicto stabitur. Quod si præsumptiones adsint, quibus reus gravatur, & uterque paratus sit ad jurandum, juramentum reo supponendum esse existimat. Cypr. *de Sponsal. c. 14. §. 24. n. 1. & 4.*

Th. IX. Quid vero, *si fateatur copulam, & deferat actrici juramentum, an fuerit virgo toto tempore antea; num virgo jurare tenetur?* R. magis est, ut non debeat ad juramentum compelli, cum puellam virginitatem allegans, præsumptionem juris pro se habeat. Cravet. *p. 1. Consil. 166. n. 1.* Franc. Linglois *in 50. decis. dec. 9. q. 6. in pr.* Igitur probatio incumbet neganti, propter odium stupri, non puellæ asserenti, propter præsumptionem, quia virgo præsumitur, ex quo habebatur pro virgine & incedebat in habitu virgineo *arg. l 15. § 15. de injur.* Schneidevv. in § *in duplum. num. 14. Instit. de Act.* nisi aliqua subesset urgens præsumptio in contrarium puta quod reus juret de calumnia, scilicet quod tale juramentum purgationis calumniose non requirat, per tradita ejusdem Lingl. *d. l. n. 2.*

Th. X. Ulterius quærere placet: *Num mulieri vitiatæ dicenti, sibi promissum esse matrimonium ab eo qui vitiavit illam, credatur?* Resp. absolute non creditur, nec

nec juramentum necessarium deferendum eidem, etiamsi per unum testem probet, sibi matrimonium promissum esse, idque ideo, quia pudicitiæ jacturam fecit, & infamis est, ac susque deque habet, quid jurata dicat vel affirmet. Deinde vitiata hoc unum studet, infamiam ut abolere & maculam eluere & eum, qui vitium illi intulit, maritum nancisci possit, adeoque verisimile est, eam facile pejeraturam, propter honorem, cum fama & honore homini nihil sit antiquius aut pretiosius. *l. Julianus. 26. pr. si quis omiss. caus. testam.* Cypr. *de spons. c. 14.* §. *19.* si tamen testem omni exceptione maiorem habuerit, juvenis admittitur ad juramentum purgationis, nisi actrix sit nobilis, honesta & dives, juvenis vero plebejus & pauper. Beust. *ad l. admonendi. de jurejur. n. 271. & seq.*

Th. XI *Potestne prægnans ex aliquo, promissione facta, se ei tantum honoris restituturum, quantum intulerit infamia, contra eundem experiri, ut pro vero matrimonio pronuntietur, si ille de bonore conjugali non sensisse se, sed de reverentia & cultu externo affirmat?* Resp. si verbis prolatis ea insit promissio, quæ ad coniugium pertinet, pro matrimonio pronunciandum esse. Nam si vir & mulier verbis explicant, quod tamen corde non sentiunt, & absit dolus & metus, obligatio illa verborum, quibus sibi repromittunt, matrimonium constituit. Neque enim verisimile est, qui verbis fidem dedit, id animo non cogitasse. *l. Labeo. 7. §. fin. vers. cæterum nemo, de supell. leg.* Cypr. *d. l. c. 4.* §. *15.*

Th. XII. Quando puellæ quis fidem dedit & facta est imprægnatio, prævia coram testibus protestatione, se id, quod facturus est contrahendi conjugii causa non facere, omnino tenetur ex promissione, non obstante protestatione, quæ fraudulenter facta est. Dolus autem nemi-

nemini patrocinari debet. Deinde proteſtatio actu contraria pro nihilo habenda. De reliquo animadvertendum, quod, ſi incidat præjudicialis quæſtio, quæ prius terminanda eſt, ſponſalia tunc ſuſpendantur, utpote ſi puella compreſſa dicat, ſibi fidem de conjugio datam & poculum abortionis a ſtupratore propinatum fuiſſe, ad tollendnm partum, qui in utero eſt, vel ſterilitatis medicanenta data. Certe hæc quæſtio criminalis tanquam præjudicialis expedienda & dijudicanda primo eſt, antequam de matrimonio cognoſcatur. Quippe de crimine potius judicare oportet, quod tanquam majus minori merito præfertur. *tot. tit. X. de Ord. Cognit.*

Th. XIII. Q. *Num Nobilis ignobilem grauidatam, fide de conjugio primus data, teneatur ducere?* Cypr. *c. 10. de ſponſ.* §. *13.* in negativam inclinat, dicens, ſibi imputare puellam debere, quæ Nobili ſui copiam fecit, quam ſciebat maritum habere non poſſe. Nos contrarium aſſerimus cum Carpz. *Pr. Crim. p 2. q. 68. n. 53.* quia nusquam legitur nobilitati præ reliquis indultum aliquod privilegium, præprimis quoniam matrimonium favorabilius eſt, quam Nobilitas, & alias notiſſimum, quod privilegiatus contra æque privilegiatum non utatur privilegio, multo minus in hoc caſu, vbi favor matrimonii facit utramque paginam. Aliud dicendum ſi nulla præceſſit promiſſio matrimonii, tunc quia juxta jura vulgata pœna ſaltim alternativa obtinet, nempe ut imprægnans ducat aut dotet. *c. 1. & 2. X. de adult.* & liberum ſit ipſius electioni relictum quid velit, *hinc nec Nobilis invitus ad ducendam vitiatam cogi poteſt*, ſed liberatur dotando, quoniam dotatio in locum matrimonii ſurrogata eſt. Carpz. *P. 4. C. 27. de. 1. n. 9. & def. 2. n. 2.*

Th. XIV. Videndum nunc, qua ratione mulieri

lieri imprægnatæ succurrendum sit, ubi prius quædam de pœna stupratorum inserere necessarium existimamus. Scilicet juro divino prægnans virgo non desponsata, a stupratore in uxorem ducenda erat, & patri puellæ 50. sicli dandi. *Deut. c. 22. v. 29.* sive puella dotanda & ducenda, vel dotanda tantum, si pater puellæ nollet eam ipsi dare. *Exod. c. 22. v. 16. & seq.* Contra Clericum Jus Canonicum dotationem decrevit, ita tamen, ut depositionem ipsi insuper dictitet & castigationem corporalem. *c. 2. de adulter.* Moribus nostris juxta Mauritii, Electoris Saxon. Landes-Ordnung 1543. editam, stuprans virginem vel viduam debet eam, si in uxorem ducere nolit, dotare & partui, quem habet ex ea, alimenta constituere, secundum arbitrium judicis & carcere ad tempus puniri. Hinc si puella sit vitiata paupercula & is, qui vitiavit & matrimonium promisit, dives, omnino ducenda, si parentes ipsius ferant & conniveant, secus si dolis & fallaciis, quas parentes pauperculæ pararunt, qui omnino fallaciæ pœnas dare merentur, circumventus sit. Quod si mulieri vir promittat & fidem det his verbis: Ego te uxorem habere volo, & sequatur imprægnatio, vir ad matrimonium præcise obligatus non est, quia in alternativis electione gaudet debitor.

Th. XV. Q. *Si medio tempore, quo reus deliberat, utrum velit dotare, vel ducere, puella in corpus suum peccet, fornicando cum alio, an ex quo electionem auferat ducendi vel dotandi, causa cadere debeat?* Resp. non esse dubitandum, quin causa cadere debeat, cum etiam sponsalia juramento firmata tali casu dissolvi fueant. Quod si fuerit probata præcognitio, dissolvuntur sponsalia, nec potest puella agere contra secundum fornicatorem, ut ducat vel dotet, causa cessante deflorationis. Speidel. *in spec. Notab. p 694.* Dietherr. *in contin. Besold. lit. K. n. 22.* voce Kinds-Händel, Kindes-Schwängerung.

Th. XVI Exinde fluit quoque, quod, si stuprata de fornicatione cum aliis est suspecta ex indiciis & præsumptionibus, dum probatur, quod aliorum juvenum & virorum consortia quæsierit, eorumque comessationibus interfuerit, stupratori alimentatio infantis injungenda haut sit, priusquam juramento se purgaverit a suspicione, certumque infantis patrem indicauerit. Carpz. *l. 2. Consist. def. 239. Mev. 3. decis. 73.*

Th. XVII. Alias qui stuprum confitetur, pro patre infantis habetur, donec solidis fundamentis contrarium fuerit probatum, Id. *ib. def. 232.* & stuprator onus alimentationis evitare non potest, etiamsi maritus sit. Id. *D. 4. C. 27. d. 10.* imo etiamsi ab alio jam corrupta, aut scortum publicum fuerit, ab ipso autem conceperit, quod tamen jurato obtinere debet. Id *l. 3. Consist. def. 81.* si stuprator non est possessionatus, in carcere detinendus est, dum cavit de judicio sisti & judicatum solvi. Havem. *l. 4. Gamol. Syn. t. 5. pos. 4.* si stuprator sit fugitivus & inops, gravamen alendi infantem patri avoque paterno accrescit, scilicet de portione hereditaria, quam patre defuncto stuprator expectat. Vid. D. Richt. *dec. 88. n. 33.* qui vult, patrem demum, post triennium, partui de alimentis arbitrio Judicis æstimandis prospicere debere per. *l 9. C. de P. P.* quem textum tamen Dd. ita intelligunt, ut ad matrem lactantem sumptuum in partum faciendorum onus intra triennium redundet & pater vel ejus heredes intra istud tempus ab omni sumptu liberentur, nisi mater adeo pauper sit, ut infanti lactando vacare non possit, tunc enim tam matri, quam infanti subveniendum asserunt. vid. Neviz. *in Sylv. nupt. lib. 3. n. 25.* & Moller ad *Consist. Elect. 27. p. 4. n. 2.* Quod si non appareant consangvinei, qui nutriant, patre deficiente, tunc expensis, fisci

lacta-

lactari & nutriri partus debet. Carer. *in Prax. Crim. tr. de homic.* §. *circa igitur quartum de stupro. n. 36.* Quod porrigimus usque ad illam ætatem, qua ipse se alere poterit, ex lucris personæ. Bejard. *ad Clar. Prax. Crim.* §. *stuprum num 11.*

Th. XVIII. *Dotationem* quod concernit, dos pro modo & qualitate non imprægnantis, sed imprægnatæ, vel magis ipsius parentum conditione æstimatur, & nulla certa quantitas determinari potest, sed judicis arbitrio relinquitur, hinc teste Carpz. *Prax. Crimin. p. 2. q. 68. n. 13. 14. & seqq.* aliquando 20. 30. 40. Thal. pro qualitate personarum, videlicet quantum probabiliter ad dotandam talem personam dari soleat a parentibus, dictantur. Hinc ubi imprægnata erat filia eines Krieges-Obristen, imprægnans vero ein Rittmeister, dotatio determinata fuit auff 300. Reichsthl. Notandum vero, quod, ubi bona defuncti vitiantis pro tali dotatione non sufficiant, ea ex bonis avi peti non possit, modo ea nondum sint facta filii propria per successionem hereditariam, quin etiam *vidua defuncti imprægnantis* quoad ihr eingebracht Guth præfertur, quia uxor habet hypothecam legalem, atque adeo jus reale in bonis mariti, imprægnata vero saltem jus personale & condictionem ex canone. Quemadmodum in causa, da der imprægnant gestorben, und dessen Vater annoch am Leben, welchem nochmals die Erben des imprægnanten succediret, judicavit die Fürstl. Magdeburgische Officialen den 8. Decembr. 1679. his verbis: In Sachen A. G. W. Klägerin eines Ehr. J. S. Seel Erben Vormündere beklagte anders Theils, sprechen wir Fürstl. M. z. O. V. vor Recht, daß der Klägerin gesuchte dotation auff 300. Thal. hoch nicht unbillich zu setzen, welche ihr

aus Chr. J. S. Seel. Verlassenschafft, nach dessen Wittibe Abfindung, Beklagte zu bezahlen schuldig.

Th. XIX. Denique circa dotationem ea cautela necessaria decitur, quod statim deflorans ad solvendam dotem parentibus puellæ, quibus facta injuria, vel ad deponendam pecuniam compellatur, quandoquidem ceteroquin deflorans, ne cogeretur solvere dotem, posset multis fraudibus impedire, ut maritum non inveniret, & hoc modo deflorata facilius invenit maritum. Bajard. *ad Clar.* §. *stuprum. n. 24.*

Th. XX Cessat onus dotandi, si probetur, cum puella conventum fuisse de pretio, nam tunc perdit ea jus exigendæ dotis; pater tamen puellæ potest agere actione iniuriarum & damni æstimationem sibi provenientis petere, quia majori eget pecunia ad eam dotandam. Id. *n. 28.* Q. autem, An pater & filia possit favori petendæ dotis renunciare? Resp. possunt renunciare quidem tacite, nihil petendo, non autem expresse, quia pœna imposita fuit non ad vindictam, sed ad bonum publicum & spirituale; Id. *n. 19. & 20.*

Th. XXI. Progrediamur jam ad stuprum in hoc illove personarum statu terminatum. Ac *monialem* quidem carnaliter cognoscens, punitur pœna mortis. Jul. Clar. *q. 68. pr. Crim. vers. monialem. n. 27.* sicut virginis Vestalis stupratorem in comitio ad necem cæsum, virginem vero stata die, ad portam Collinam, in loco, cui scelerato nomen erat, sub effossa humo, vivam defossam fuisse, narrat Cypr. *de sponsf. c. 10. §. 11.* Tutor stuprans pupillam, deportatur & ejus bona publicantur de jure Civ. text. est in *l. un. C. si quis eam, cuj. tut. fuer.* Grill. *de pœn. omnis. coit. c. 9. n. 7.* Jure Saxonico Electorali relegatio locum habet. Carpz. *p. 4. C. 27. d. 7.*

Th. XXII.

Th. XXII. Mulierem Judæam vel Turcicam imprægnans fustigatione coerceri debet per ea, quæ habet Carpz. *d. P. C. 26. d. 4.* Gravior pœna, apud Ebræos, in illos ſtatuta, qui cum fœminis plane gentilibus coitu ſe miſcuerant, dum in eos incurrere vel Zelotis, i. e. hominibus privato zelo ductis fas erat. Sacerdotem vero in immunditie ſua ſacra obeuntem non erat neceſſe, ut Sacerdotes ceteri in forum educerent. Sed Sacerdotes, qui per ætatem nondum miniſterio ſacro pares erant, cum extra atrium protrahebant & cerebrum ejus fuſtibus elidebant. Seld. *l. 4. de J. N. & G. Ebr. c. 4.* Quod ſi quis Judæus fœminam compreſſiſſet ex filiabus Israel, poſt legem Moſaicam, ubi non interceſſerant ſponſalia, verberandus erat ex lege, ideo quod cum innupta coiviſſet. Ante legem Moſaicam aliud receptum erat. Tunc enim fœminam, cui poteſtas erat ſui ac dominium, i. e. innuptam in aliquam concubitus vicem, ſine conſenſu in vitæ communionem, ſui copiam licite ajunt permiſiſſe ſeu locaſſe, aut ſe ſic tradidiſſe; adeo ut pro breviuſculo ejusmodi amplexuum momento ſive amicæ ſive meretricis, modo neutra earum alteri nupta eſſet, illicitam nolint fuiſſe illam ſui permiſſionem ſeu locationem traditionemve aut concumbentis poſſeſſionem magis ac cujuscunque alius rei mancipi locationem uſumfructumve. Id. *l. 5. c. 4.*

Th. XXIII. Qui *commatrem* ſuam aut *filiam luſtricam* carnaliter cognovit, arbitrariam carceris vel relegationis pœnam ſuſtinebit. Carpz. *d. C. 26. de ult.*

Th. XXIV. Si *ruſticus* aut vilis conditionis homuncio puellam nobilem ſtupret, virgis cæſus in perpetuum relegari debet vi *Conſt. 27. p. 4.* add. Carpz. *Conſiſt. l. 2. d. 231.* Quod ſi ſtuprator inferioris conditionis du-

cere cupiat ſtupratam nobilem, ipſa vero nubere nolit vel non auſit metu parentum, mitius puniendus eſt. Moller. *ad. d. Conſt. n.* 7.

Th. XXV. Circa ſtupratam quærendo indagare allubeſcit, *An virgo corrupta ſertum in capite geſtare poſſit?* Negamus, quia ſertum eſt ſignum virginitatis, jam deficiente ſignato, quod eſt virginitas, ipſum ſignum deficiat neceſſum eſt: non obſtat, quod virginitatem in animo retineant, uti voluit Franc. Pfeil. *cent. 2. conſ* 147. allegans Ambros. *l. 2. de Virginit. in cap. tolerabilius. C. 32. q. 5.* eo, quod revera caro non poſſit corrumpi, niſi mens ſimul ſit corrupta, & corpus mulieris, non vis maculet, ſed ejus voluntas. Cui ſuccenturiantur Berlich. *p. 5 Concl. 41. n. 67.* & Matth. Steph. *ad art. 119. Ordin. Crim. Car. V.* Nam contrarium tanquam verius tuetur Carpz. *l. 3. Conſiſt. tit. 6. d. 81.* D. Præſes *in diſſert. d. pœnitent. eccleſ. c. 3. n. 43.* quoniam etiam ea, quæ per imbecillitatem ſuam lapſa eſt, virginitatem amiſit, nam non minus conſentit in delictum atque meretrix; idcirco quoque oſtendit *ibid. n 2.* Carpz. quod, ſi ſerto nihilominus incedat, nec illud deponere velit, pœna arbitraria ad id adigi queat. Deinde poſſumus argumentari a majori ad minus, ſi illi, quæ vi ſtuprata fuit, non conceditur ſerto incedere, uti latius deducit. Id. *l. 2. d. 237. & prax. Crim. p. 2. q. 75. n. 83. & 84.* multo minus conceditur ei, quæ imbecillitate humana lapſa, virginitatem ex conſenſu ſuo amiſit, etiamſi dicat, ſe in ſomno amiſiſſe, nam præter hoc, quod talis caſus ferme non ſit per naturam posſibilis, ut non habeat ſenſum Veneris: Nam aut ſenſit, nec tamen prohibuit, & per hoc conſenſum accommodaſſe videtur, ſi non ſenſit, unde certa eſſe poterit, ſibi in ſomno hoc ipſum obtigiſſe. Scio quidem caſum

fuiſ-

fuiſſe olim in terminis Hallis Saxonum mit E. S. quæ dicebat, ſe per noctem, in ſomno corruptam fuiſſe a ſcholari; Es hätte Ihr davon geträumet, und da ſie wäre auffgewacht, wäre der Schüler zur Cammer-Thür hinaus gegangen, deſſen aber ungeachtet, hat ſie ſich des Krantzes müſſen enthalten. Inſuper ſcandala ſunt vitanda, quæ hoc caſu darentur facile, cum pluries accidere poſſet, ut vitiata ſe ſomno oppreſſam mentiri queat.

Th. XXVI. Sed definimus plurium de hac materia, aſſumemus intuendum *inceſtum*, ubi primo loco nobis offertur ordo *Aſcendentium* & *Deſcendentium*. Diſtincte tamen hic procedendum. Alia enim pœna inceſtuoſarum eſt jure divino, alia jure Saxonico. Jure divino igne delinquentes comburendæ erant. *Lev. 20. v. 14.* Jure Saxonico gladio plectuntur. *P. 4. Conſt. 22.* quod ſi tamen accedat minorennitas vel alia quæpiam idonea cauſa, mitiganda pœna eſt, & transgredientes virgis cæſæ, in perpetuum relegantur. *d.* C. Sic ante publicatas Conſtitutiones Scabinos Lipſienſes puellæ, quæ perſuaſa à patre viduo, ſe ſine exceptione in omnibus & quibuscunque rebus ſibi morem gerere teneri, eandem pœnam dictatam fuiſſe A. 1563. teſtatur Moller. *ad d.* C. *n. 4.* Quoad perſonas collaterales, ſi frater ſororem imprægnet, ipſe cum imprægnata ſorore virgis cæſus in perpetuum relegatur. Carpz. *d.* C. *def. 4.* Eandem pœnam ſuſtinent, qui cum fratris filia vel amita magna carnaliter ſe commiſcent. Id. *d. l. def. 5 & 8.* Conſobrini vero absque fuſtigatione perpetuo exilio coercentur. *def. 6.* Jure Civili pœna ejus, quæ ſe a perſona conjuncta imprægnari paſſa erat, habebatur infamia, confiſcatio bonorum, deficientibus liberis legitimis, fuſtigatio. *l. 6. C. de inceſt. nupt. junct. Auth. eod.* Inter affines denique inceſtus commiſſus, ſi ambo ſoluti

ſe

ſe commiſcent, fuſtigatione & perpetua relegatione coercetur. *P. 4. C. 24.* Q. autem, *an is, qui impregnavit ſponſa non dum cognitæ conſanguineam, de inceſtu puniatur?* Reſp. quod non, quia matrimonium nondum eſt conſummatum, nec ideo vere commiſſus inceſtus: itaque Epiſcopus poterit diſpenſare, etiam ſine cauſa, ut contrahat, non tantum cum ſponſa illa de futuro, ſi commixtus eſt in vaſe, & ibi conſummavit cum ejus conſanguinea, ſed cum alia, quæ ſibi non eſt affinis, poterit enim ſine diſpenſatione, ut eſt gl *in c. quadam.* C. *27. q. 2.* cum textu Angel. *voc. Inceſtus.* §. *fin.*

Th. XXVII. Non prætereundum vero, quod ex majorum ſancito, non ex ipſa lege Judæorum illicitum eſſet adultero aut ſtupratori ullam ſtupratæ aut adulteræ ſuperſtitis conſanguineam. *c. 5.* C *35. q. 2. & c. 3. X. de eo, qui cogn. conſ.* dictis cognationis gradibus conjunctam in uxorem ducere, veluti publicæ honeſtatis cauſa, ita tamen illicitum, ut verberum pœnam ſubiret, qui contra faceret, non ut inde matrimonium initum dirimeretur. Seld. *l. 5. c. 10.* ratio prohibitionis erat, ne cum adultera aut ſtuprata conſanguineam inviſerit, maritus ei congreſſus & amore denuo captus, inceſtum committat. id. *ib.*

Th. XXVIII. Quod denique concernit prohibitiones *Levit. 18.* contentas, veluti coitus cum matre. *v. 7.* uxore patris. *v. 8. Deut. 27. v. 20.* cum ſorore germana & uterina. *Levit d. c. v. 9. cum nepte ex filia. v. 10. amita. v. 12. matertera. v. 13. patrui uxore. v. 14. nuru. v. 15. uxore fratris. v. 16. privigna, privigni filia & nepte. v. 17. uxoris ſorore. v. 18.* &c. D. Eckoldus §. *2. tit. ff. de rit. nupt.* naturales eſſe affirmat omnes, cum Carpzovio & aliis, a quo recedit Notator ibidem, & ſane quanquam gentes in *d. c. v. 25.* ejiciendas eſſe Deus voluerit, quod prohibi-

hibitiones ejusmodi non attenderint, potuerunt tamen gentes illæ obstrictæ fuisse vel ex gentium jure quodam secundario, vel etiam, quod ad ipsas per traditionem lex moralis a majoribus ipsorum pervenire potuerit, ut hactenus recte Grot. *l 2. c. 5. n. 10.* imo eodem capite concubitus mulieris cum bestia *v. 19.* prohibitus esse reperitur, quam prohibitionem J. N. esse nemo dixerit. Confer *Lev. c. 15. v. 25.* Unde male Kitzel. *c. 3. de sponf. theor. 7. lit. G.* & noviter Huberus *L 2. digress. c. 19.* prohibitionem conjunctionis inter eos, qui parentum & liberorum loco sunt, v. c. cum fratris filia naturalem esse putant: cum quidem commixtio contra illam incestus tantum civilis esse in *l. 38. §. 1. & 2. ad L. Jul de adult.* dicatur: nisi civilem dicere velis, ut ea civilia esse dicuntur, quæ instituto quidem civili originem debent, sed tamen ob honestatis rationem a plerisque gentibus assumpta sunt. Dn. D. Lyncker *in dictat. ad tit. de rit. nupt. membr. In naturali cognatione spectatur computatio & probibitio.*

Th. XXIX. Q. *Num habens uxorem, si prægnantem fecerit Bertam eique dixerit: Si non haberem uxorem, acciperem te in uxorem; mox male eam tractaverit uxorem, ut præ mœrore mortem sibi contraxerit, Bertam ducere possit?* Resp. Si eo proposito non fecerit, ut moreretur, licite poterit Bertam accipere in uxorem, quia nec hic est fidei datio per verba promissa: nec homicidium ille fecit ea intentione, nec adulterium dicta machinatione. Angel. *cap. matrimonium. Impedim. 9. §. fin.* Tantum de incestu.

Th. XXX. Consequens est, de congressu mulierum cum *brutis* ut pauca in medium proferamus. Ubi excutiendum ante omnia est, *an nasci possit fœtus humanus ex permistione tali cum bestiis?* quod inficiamur merito, quia deficit omnis causa efformativa & organizativa

 huma-

humani corporis, quæ est semen humanum virile ex suppositione, neque ferinum semen aptum est, ut concurrat ad efformandum corpus organicum, quod longe perfectius est, quam ut a ferino semine tanquam a causa partiali tantum concurrente efformetur. Vid. Schott. *lib. 3. Phys. Cur. c. 5. §. ult.* Et etiamsi nonnunquam fœtus inde procreatus sit externa membrorum conformatione imaginem hominis repræsentans, non tamen verum hominem fuisse, sed animal belluinum, certum est. Quod autem pœnam taliter brutescentium attinet, ea est combustio cum jumentis, quibus consueverunt. arg. *Exod. 22. v. 19. c. reos. 7. § qui coierit. C. 23. q. 5. c mulier. 4. C. 15. q. 1.* junge Nemesin Carolin. *art 116.* & Dn. Struv. *exerc. ad π. 49. §. 42.* quæ executio ad eum effectum peragitur, ne tale brutum postea indignam refricet facti memoriam supervivens. Ames. *lib. 5. cas consc. c. 34. q. 3.*

Th. XXXI. Teterrimum genus permistionis illicitæ est *Concubitus* cum *Dæmone.* Ubi curiosi naturæ indagatores disquirunt, An Dæmones possint impraegnare mulieres. Sane in Marrea regione, Puellam quampiam nobilem prægnantem inventam, parentibus stupratorem scire aventibus, indicasse, quod nocte dieque secum formosissimus cubaret adolescens, qui unde veniret, ipsa ignoraret. Tertio die postea indice ancilla, parentes rescivisse illius præsentiam, itaque cum tædis cubiculum intrantes, horrendum monstrum in complexibus filiæ conspexisse. Quo cum magno fragore disparente, post triduum, fœminam fœdissimum monstrum peperisse ex Cardan. *lib 16. de Variet. rer. c. 93.* narrat. P. Schott *Phys. cur. l. 1. c. 21.* & Delr. *l. 4. Disq. Magic. c. 1. q. 3. s. 5.* memorat, virginem quandam Gandavensem, fanaticis revelationibus nimium tribuentem, impraegnatam in templo a Diabolo fuisse persua-

sua-

ſuadente ipſi, ſe meritis reliquis Deiparam æquiparare, deeſſe fœcunditatem junctam virginitati illibatæ, ſi pergat, id quoque obtenturam, juſto poſt tempore, miſeram pro prole humana horridorum & villoſorum vermium copiam utero effudiſſe. Dicunt, Dæmonem incubum non poſſe vi ſua & ex propria ſubſtantia generare ex muliere prolem, poſſe tamen ſexum, quem natura non habet, artificioſe exhibere & ſperma alienum ſc. in ea, quæ ſomnianti viro contigit, illuſione mira agilitate ſubducere & illud, quo momento mulier ad concipiendum optime eſt diſpoſita, matrici infundere & muliebri ſemini commiſcere, indeque ſequi prægnationem mulieris, ac ſi mulier cum naturali Viro coitum habuiſſet. Quod ſi tamen proles naſcatur, inquiunt pater ejus non Diabolus dicetur eſſe, ſed homo cujus ſemine abuſus Dæmon eſt Grill. *de ſortil. q. 7. num. 12.* Schott. *d. l. c. 22.* Quod quidem pernegat Carpzov. *P. 1. Crim. q. 40. n. 35.* Interim tamen experientia cognitum, ex concubitu Diabolico partus quosdam monſtroſos, inſtar vermium, quos Elben vocitant, a Sagis prognatos fuiſſe, quibus damna hominibus per veneficium creant. Exempla libidinis Dæmoniacæ ſuppeditat Theat. Zvving *p. 1259. & ſeq.* Nefandum hoc delictum ultricibus flammis coerceri, docet experientia. Vid. Carpzov. *P. 1. Crim. q. 49. n. 45.*

Cap. IX.

De Delictis, quæ vel prægnans, ratione fœtus, vel tertius in prægnantem fœtumve perpetrat.

SUMMARIA.

Th. I. Prægnans peccat, visceribus vim intulit & partum in utero interemit, manibus ventrem comprimendo &c. II. Quid de poculo abortionis statuendum? III. Excusanda non venit mulier medicamenta recipiens, ut non concipiat. IV. An fœmina possit abarcere fœtum sine nota homicidii? Si non obstante pocula mulier peperit filium viventem, & qui duravit in vita, an qui dedit poculum, vel ipsa mulier puniatur, & qua pœna? VI. An autem mulier sciens volens partum abortivis medicamentis corruperit, qua ratione sciri possit? VII. Obstetrix peccat, si prægnanti medicamentum dederit, ut partus ejiciatur. VIII. Quid faciendum, si & mater & infans, nisi subsidium afferatur, peritura videantur, num obstetrix potionem abortivam gravidæ & in partu conclamato laboranti porrigens, puniri poterit? IX. Delinquit obstetrix, si munus suum segnitur expediat. X. Tertius delinquit, si faciat prægnantem pati abortum. XI. Q. Si puer vesicam porci inflatam violenter frangens, vel bombardam displodens fecerit, ut ex fragore mulier gravida expavefacta & fugiens dispersa sit, an homicida sit. XII. Si quis intulerit

ſerit cum fœmina prægnante v. gr. ſi quis eam per zonam a tergo traxerit &c. & contingat ipſi conceptus vivificati abortio? XIII. Execrandnm eſt, quod de latronibus communi fama traditur, ipſos mulieres prægnantes invadere, & diſſecantes uteros, fœtu inde eruto, manus abſcindere, &c. XIV. Si quis cauſa libidinis explendæ, vel odio, mulieri aliquid fecerit vel dederit ad potandum, ut ſoboles non naſcatur, ut homicida tenetur.

Th. I.

PRægnans peccat, ſi viſceribus vim intulit & partum in utero interemit, manibus ventrem comprimendo, aut fortiter cingendo, vel ſe in terram projiciendo; quibus accenſenda quoque venit, quæ ventris doloribus impulſa, ex προαιρέσει puerum in latrinam projecit, & quidem pœna gladii coercetur, ſi partus extitit animatus, ſin minus, arbitraria locum habet. Carpz. *P. 1. Crim. q. 11. num. 12.* In Gallia extat conſtitutio Regis Henrici II. vigore cujus, ut obviam eatur aborſibus & malitiis mulierum partus e medio tollentium, fœmina, quæ celaverit ſe fuiſſe prægnantem, vel peperiſſe, nec publice baptizandum, vel ſepeliendum partum exhibuerit, rea haberi debet homicidii ſeu parricidii. *Conſtit. ſur le fait des femmes groſſes de anno 1556. menſ. Febr.* P. Greg. Tholoſ. *Synt. Jur. Civ. l. 36. c. 15. num. 22.* Quorſum pertinent tradita Joſephi *adv. Appion. lib. 2.* Ταῖς γυναιξὶν ἀπεῖπεν ὁ νόμος μήτ' ἀμβλίσκειν ποτὲ ἔν τινι τῶν αὐτῶν, μήτε διαφθείρειν, ἀλλὰ μηχανῇ τινι προσέπεσθαι αὐτῷ. Τεκνοκτόνος γὰρ ἂν εἴη, ψυχὴν ἀφανίζουσα καὶ τὸ γένος ἐλαττοῦσα. Mulieribus celare fœtum aliquem lex interdixit, aut eum extinguere, ſed voluit, ut eum arte

 potius

potius aliqua foverent. Infanticida enim esset animas demoliens & genus imminuens.

Th. II. *De poculo abortionis* res paulo difficilior. Sumunt illud prægnantes vel eum in finem, ut pudicitiæ occurratur, quæ ex imprægnatione periclitatur, & honori consulatur, quod non raro, in illis, usu venit, quæ verecundiam, cum virginitatis dote, amiserunt, virgines tamen adhuc videri cupiunt: item in maritatis, quæ in longa virorum absentia, se aliis submittunt; vel eum in finem, ut maritis divortio facto ægre faciant, ut *l. 39. de pæn.* & hæ omnes ante partum vivificatum relegantur de Jure Civili *l. 4. de extraord. crim.* nisi hoc fecissent, propter pecuniam, in favorem nimirum heredipetarun, quo casu capite puniuntur *d. l. 39. de pæn.* Videntur enim tunc quodammodo assassinium committere. Bart. *ad d. L.* Add. Ludov. Dunte *Decis. cas. consc. tit.* von Göttlichen Gesetz. *s. 2. q. 13.*

Th. III. Excusanda hic non venit mulier medicamenta recipiens, ut non concipiat: quia enim videtur quodammodo voluisse subvertere ordinem naturæ & imponere sterilitatem in utero, in quo natura imposuit fœcunditatem, hinc ob rem mali exempli, tamquam niminum audax, punitur mitiori quidem pœna, quam homicida. Ludov. Carer. *Pr. Crim. tr. de homicid. q. 6. n. 40. p. 116.* licet quoad pœnam Canonicam ex hoc incurrat in irregularitatem *c. 2. de homic. in 6.* Colligitur quoque pœna taliter delinquentium *ex Gen. 38.* Fieri enim non potest, ut vitio careat actio, quæ ad finem detestabilem tendit & juri naturæ e diametro repugnat. Adde, quod animæ cœlo interdicuntur, cui jam erant destinatæ. Nec nos movet Hippocr. *lib. de nat. puert.* qui famulæ cujusdam, ut conceptum 6. dierum

rum corrumperet, suasit, & Covarruv. *in Clem. si furiosus de homic p. 2. §. 3. n. 1.* in suæ opinionis confirmationem adducens c. *quod vero. 8. c. 32. q. 2.* & putans, posse abigi partum, inanimatum, si puerpera nimis arcta sit, aut ejus fama lædatur. Textus enim non loquitur absolute, sed comparate

Th. IV. Non dissimulandum, circa quæstionem, *An fœmina possit abarcere fœtum, sine nota homicidii,* maxime discrepantes foveri sententias. Communiter distingvunt inter fœtum *animatum* & *inanimatum*, hunc abarceri posse, si aliter fœmina vitam servare non possit, illum minime posse, contendunt; sunt tamen nonnulli, qui tantum ad talem casum restringunt, ubi scil. fœmina aliter vitam servare nequit, extra hunc si sit, putant, non liberam esse ab homicidii crimine, quamvis enim non sit homicidium formaliter, esse tamen quasi homicidium, cum fœtus talis in potentia proxima sit ad hominem. Alia ratio illorum est, qui semen animatum statuunt, quamvis & hi in duas partes abeant (1.) quidam dicunt, quod sit animatum, etiam antequam ad locum generationis applicetur, quidam (2.) statuunt, quod tum demum animetur, quando applicatum est, dicuntque de ratione seminis esse formali, ut sit animatum; hi omnino pro homicidis habere possunt, qui talem abortum procurant, at non illi; si enim non est, animatum, qui potest hominis cædes esse, cum fœtus nondum sit homo? Sed manum de tabula, & potius soliciti sumus de fœtu animato, quid tum liceat matri si certo sciat, quod pereundum sit sibi, non procurato abortu? Resp. Petrus de Arragonia recte distinguit inter medicamenta quorum quædam sua natura sint salutifera, quædam vero destructiva, hæc adhiberi non posse,

quia

quia optimus vitæ possessor infans est: bene tamen ilia, quamvis enim sequatur abortus, tamen non directe intenditur. Præterea matris vita potior est, quam infantis, cum hujus pendeat a matris vita, non contra, v. g. si mater gravida sit in sylva & fera insequatur eam, omnino fugiendum esse matri esserimus, quamvis periculum abortus immineat. Nam alias ambo perirent. Quod si filia est minor & suasionibus matris impiæ abortum fecerit, ut suam turpitudinem occultaret, tunc filia excusatur. Nam & matris jussus ac mandatum, nec non ætas illi excusationem præbet. Bajard. *ad Clari Pr. Crim. q 68 n. 6.*

Th. V. Q. *Si non obstante poculo mulier peperit filium viventem & qui duravit in vita, an, qui dedit poculum, vel ipsa mulier, punitur, & qua pœna?* Resp non debet puniri pœna mortis, ex quo non fuit secutus effectus, quia hodie in maleficiis potius spectatur eventus, quam solus animus delinquentis, sine effectu, nihilominus non evadet impune illi, qui scienter tradidit, vel quæ scienter assumpsit, quia poterit relegari per *l. 38. §. 5. de pœn.* Paul. Grill. *de sortil. q. 13. n. 7.*

Th. VI. An autem mulier sciens, volens, partum abortivis medicamentis corruperit, nulla ratione melius sciri poterit, quam si nullo premente morbo, aut sontica causa, medicamentum susceperit; ex eorum genere, quæ abortum provocare, fœtum perimere aut ejus membranas corrumpere valent. Roder. a Castro *Med. Pol. l. 4. c. 13.* Et quia non solum punitur, qui scienter tradidit poculum, sed etiam, qui composuit. *l. 3. da L. Cron. de sicar.* idcirco optime nonnullis locis Pharmacopæi prohibentur Virginibus aut suspectis personis purgantia vel menses moventia medicamenta vendere, abs-

absque præſcitu Medici. Nam ſæpiſſime ita Medicos & Pharmacopæos mulierculæ decipiunt, dum conqueruntur de ſuppreſſione menſium, & interea ſunt gravidæ. D. Amm. *diſc. ad caſ. 66. & Reſp. 6.* ubi de vidua ſpecialem caſum habet.

Th. VII. Tantum de crimine prægnantis: *Tertium* quod attinet, comprehenditur ſub hoc vel *obſtetrix* vel *quivis alius*: Obſtetrix peccat, ſi prægnanti medicamentum dederit, ut partus ejiciatur, & ea exinde obierit. *l. 9. pr. ad L. Aquil.* videtur enim eam interfeciſſe. Quod ſi ſcienter procuravit abortum, ſiquidem partus vitalis fuit, (cenſetur autem talis, poſt dimidium uterum gerentium tempus) gladio feritur. *Conſtit. El. 4. p 4.* ſin minus, extra ordinem punitur. Carpz. *p. 4. c. 4 d. 2.* Aliud dicendum de partu, in utero matris mortuo, qui, ex conſilio Medicorum, impune abigi poteſt.

Th. VIII. *Quid faciendum, ſi & mater & infans, niſi ſubſidium afferatur, peritura videantur, num obſtetrix potionem abortivam gravidæ & in partu conclamato laboranti porrigens, puniri poterit?* Certe apud Judæos, ubi ſine puerperæ exitio, fœtus eximi nequiret, quaſi pœna & quaſi vis illata, cum revera non eſſet, locum habuit. Scilicet utriusque vita in juſtitiæ ſtatera poſita, illius ut dignioris ita anteponebatur, ut hujus cædes juſta, quia neceſſaria ob illius ſalutem, haberetur, quaſi ob imminens matri, veluti ex vi illata, periculum, ipſe pœnas meruiſſet. Itaque in utero ſive pharmaco ſive manu extingere licebat. Seld. *de J. N. & G. Ebr. l. 4. c. 3. in fin.* Quod ſi tamen exeruerat ſeu in lucem emiſerat caput fœtus, ei nocendum non erat, matris gratia, quoniam innocentis alterius vita; gratia alterius tollenda non erat. Neque tunc aggreſſoris inſtar habitus, Id. *ib.* Idem ſomni-

mniat Wilh. Grot. *Enchir. Jur. Nat. c. 11. n. 7.* dum ſcribit, infantem in utero poſſe occidi, ſi ille non poſſit extrahi, ſine diſcrimine matris. Nam potius matri viventi, quam proli nondum natæ parcendum eſſe. Rationem ſubjungit hanc: quia minus malum habet rationem boni. Sed fallitur ipſe maximopere. Etenim minus malum triſte, reſpectu majoris mali triſtis, habet rationem boni, non vero malum turpe, quod h. l. eſt. Pergit ille & ait, poculum abortivum non dari poſſe, niſi ex autoritate publica. Sed reponimus: ſi abortus malum turpe eſt, non poteſt ex publica autoritate fieri. Itaque ut tangamus id, quod res eſt, negamus, obſtetricibus permittendum, ut absque Medicorum præſcripto, medicamentum abortivum mulieribus per os tradant: dein, ſi Medicorum auxilium accedat, illa, quæ, per accidens, ad necem fœtus & ſervandam puerperam, per abortum, tendunt, ut venarum inciſionem & ſanguinis emiſſionem vel pharmacum ſudorem eliciens, licita non nunquam eſſe, arbitramur, in articulo extremæ neceſſitatis, & nullis remediis amplius valentibus, at quæ ex ſua natura atque vi, & ſic directo partum necant, ſalva conſcientia uſurpari non poſſe, quia infans optimus vitæ ſuæ poſſeſſor eſt, quicquid pro patrocinio contrariæ ſententiæ afferant Gilh. *art. Jud. crim. c. 2. t. 12. n. 49.* & Ant. Teſſaur. *dec. 12. n. 11.*

Th. IX. Præterea delinquit obſtetrix, ſi munus ſuum ſegniter expediat, gravidam inhumaniter tractet, aut infantem adhuc aliqua ſui parte in utero hærentem interficiat, priusquam id vel a matre vel a circumſtantibus fœminis deprehendatur, quod Pharaonem duabus obſtetricibus Ægyptiacis tacite præcepiſſe evincit Dav. Rung. *in prælect. ad Exod. c. 1. part. 3. p. 26.* Nec ſcurrilia

lia

lia tractet in puerperio, ne scandalizentur parientes, viterque superstitiones omnes, quibus interdum miseras vel terrent vel torquent. D. Amm. *discurs. ad cas. 76.* sæpissime enim obstetricum malitia, plures fœminæ interfectæ, alia in gravissima pericula inciderunt. Imo compertum est, sagas, obstetricum vices nonnullibi subeuntes, avidissime inhiare infantum nondum baptizatorum a se occisorum cadaveribus, & de solidiore illorum materia conficere unguentum suis artibus transvectionibusque accommodatum; de liquidiori vero humore, uterum replere de quo is, qui potaverit quid, ad ditis paucis ceremoniis, statim conscius efficitur & magister illius sectæ Schott. *lib. 1. phys. cur. 32.* Absit porro obstetrix avara & imperita, ubi quidem observandum monent, non posse quampiam omnes situs vitiosos prævidere, multo minus corrigere, quippe quos non videat in tam augustis locis. D. Amm. *disc. ad cas. 78.*

Th. X. *Tertius* delinquit, si calcem dederit, in utero prægnantis mulieris, aut faciat aliter ipsam abortum pati, teneturque de homicidio; Secundum jus commune, si partus erat animatus, si sciebat esse prægnantem, & percusserit, datque operam, ut faciat abortum, secus si ignorabat. Ludov. Carer. *pr. Crim. tr. de homic. c. 1. n. 25. p. 100.* quo casu tenetur pœna arbitraria, relegationis, aut carceris vel pecuniaria mulcta. Carpz. *p. 1 Crim. q. 11. n. 25.* Ignorantia enim excusat *l. 50. ff. loc. cond.* nec debuit divinare mulierem esse prægnantem. arg. *l. 31. ff. ad L. Aquil.* Quid autem judicandum sit in ordine ad irregularitatem, si quis causam dederit abortui, & dubitetur, an fœtus fuerit animatus, exponit Franc. Bard. *disc. 6. de consc. dub. c. 7. §. 4.*

Th. XI. *Quid de puero censendum, quo vesicam por-*

ci inflatam violenter frangente, vel bombardulam displodente, ex fragore, mulier gravida, expavefacta & fugiens dispersa est? Resp. non est homicida; nec irregularis. Pan. *in c. exhibita. 22. X. de homic.* quia non quælibet causa debet attendi, sed propinqua ad homicidium, ut quis sit irregularis. Facit *& l. nihil. interest. 15. ad L Corn. de sicar.* Unde si quis percutit alium vulnere non mortifero, hic autem, ex imperitia vel incuria Medici, vel expositione ad labores & sudores, moriatur, non est irregularis. Bart. *in d. c. exhibita.*

Th. XII. *Si quis luserit cum fœmina prægnante* e.c. si quis eam per zonam a tergo traxerit, & ea, præ terrore, dispersa fuerit s. ipsi contigerit conceptus vivificati abortio Dist. cum Pan. *in c. 20. de homic.* aut conditio ludi fuit gracilis & ludus ratione personæ licitus, ut quia fecit maritus, frater & alia persona conjuncta & tunc non erit irregularis, quia non est in culpa aliqua, eo quod levis ludus non est prohibitus in prægnante, aut ludus fuit illicitus, quia ludens cum prægnante carnale commercium habuit, aut habere consuevit, & tunc omnino hic irregularitatem subit *pr. c. 20. de homic. vol.* Ang. *in sum. verb. Homicid. cas. 2. §. 5.* Covarr. *Tom. 1. p. 2. Rel. Clem. si furiosus. de homic. § 4. n. 4.* Quam periculosum sit, admodum gravidas durius tractare, aut cum ipsis petulantius aut ineptius vel rixari vel jocari, comprobat multis exemplis Schenck. *l. 4. obs. Med. 130.* Hinc merito reprehendendi die wilden Mohren oder Daboyer, welche ihre schwangern Weiber bey sich haben, und da selbige die Geburths-Schmertzen überfallen, vielmahls wenn es hart hergehet, mit Füssen das Kind aus der Mutter Leibe treten, und den Kindern oben den Kopff breit drücken: Wie sie dann alle aussehen, als wären ihnen stücken von denen Hirnschalen ge-

gehauen worden: Ihre Ohren, Nasen und Lippen sind weit auffgeschlitzt. Ita ex Michael Hemmersams Reisebeschreibung Dieth. *in add. ad Besold. voce* Schwängerung.

Th. XIII. Execrandum est, quod de latronibus communi fama traditur, ipsos mulieres prægnantes invadere, & dissecantes uteros, fœtu inde eruto, manus abscindere, easque cera cooperire & lychnos conficere, quibus in domo, ubi furari decreverunt, accensis, dormientes ibidem e somno non suscitari posse, dicunt, quo totius obvia quæque auferre queant. Quorum pœna recte, ut aliorum latronum, rotæ supplicium, veluti pronunciatum refert Carpz. *Pr. Crim p. 1. q. 22. n. 62.* Fast ebener Massen hat 1557. Peter Wolffgang zu Sagen, welcher zur Stadt hinaus geschleifft, und mit glüenden Zangen zerrissen worden, weil Er 30. Mörde begangen, vor seinen Ende gestanden, daß Er 6. schwangere Weiber umgebracht, dero Leibes-Früchten Er die Hertzlein ausgezogen und sie gefressen habe, daß Er nicht möchte gefangen werden. Schickfus. *Chron. Siles. lib. 4. c. ult.* Et in relationibus publicis hoc anno 1680. sequentia nuper legimus, quæ in quantum vera sint, haud definiverim: Zwickau von 2. Septembr. Ein Toden-Gräber zum Geyer (4. Meilen von hier gelegen hat eine schwangere Frau aufgeschnitten, die Frucht heraus genommen, der Frau die Zunge hinten im Nacken heraus gezogen, dem Kinde den Kopff abgeschnitten, in die Feuer-Mauer gehenckt, daß, so viel als der Kopff Tropffen schwitzet, so viel Leute stürben, auch Pulver gemacht, in die Gassen gestreuet, welche über selbiges gingen, müsten sterben. Et post paulo: Diesem Bösewicht hat man, als er zur Hafft gebracht, alle Tage ein Pfund Fleisch ausschneiden lassen, welches Er selbst fressen müssen. Chartæ denique Pergamenæ virgineæ, confectæ ex cute puelli recenter nati & ante baptismum

mum emortui, vel abortivi, quibusdam magicis verbis inscriptæ, impios homines multum tribuere, testatur Sinibald. *Geneanth. l. 1. tr. 2. c. 12. in fin.*

Th. XIV. Si quis causa libidinis explendæ, vel odio, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel dederit ad potandum, ut soboles non nascatur, ut homicida tenetur. Gl. *ad c. 4. X. de homic. vol. pr.* Illi qui poculum abortionis gravidæ dant, si dolo malo non faciant, humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam, amissa bonorum parte, relegantur, si ex eo mulier aut homo perierit, supplicio afficiuntur. *l. si quis aliquid. 38. §. qui abortionis. 5. de pœn.* Hippol. de Marsil §. *nunc videndum n 50.* Huc faciunt verba *art. 133. Ordin. Crim. Carol.* So iemand einem Weibes-Bilde, durch Bezwang, Essen oder Trincken ein lebendig Kind abtreibt, wer auch einem Mann oder Frau unfruchtbar machet, so solch Ubel vorsetzlicher und boßhafftiger Weise geschicht, soll der Mann mit dem Schwerdt, als ein Todschläger, und die Frau erträncket oder sonst zu Tode gestrafft werden. So aber ein Kind, das noch nicht lebendig, von einem Weibes-Bilde getrieben würde, sollen die Urtheiler der Straffe halben bey den Rechts-Verständigen oder sonst Raths-pflegen. Nostris temporibus Madame la Voisin Lutetiæ Parisiorum modo quodam incognito in mulierculis quæ pudicitiam in propatulo habuerant, abortum causare docta, concurrente crimine veneficii, in carcerem conjecta, mox viva combusta fuit. Pari modo puniri possunt, qui consilium dant, si in ipsis talis sit malitia, quæ ad meritum pœnæ sufficiat. Hug. Grot. *l. 2. c. 21. §. 1.* Coarguenda hoc nomine Regina, Eusebia, quæ, quod sterilis esset, Helenæ, conjugi Imperatoris Juliani fraudulenter suasit, eamque acriter inflammavit, ut venenum absorberet, quo facto, quotiescunque prægnans facta, nunquam justo tempore partum enixa est. Zeiler, *cent. 3. q. 36.* CAP.

CAP. X.

De
Probatione Prægnantiæ.

SUMMARIA.

Th. I. Connexio. JCtus in probanda prægnantia Medicorum atque obstetricum judicio stare debet. II. Ambigitur, quænam signa sint graviditatis. Ante quatuor menses difficillime cognosci potest prægnantia. Responsum Facultatis Medicæ Lipsiensis ex Ammanno adducitur. III. Desumuntur signa quædam ex matre, quædam ex ventre, quædam ex universo corpore prægnantis. IV. Quænam desumantur ex matre? V. Ex ventre. VI. Ex universo corpore. VII. Certissima gravidationis signa non modo ignaras mulieres, sed etiam peritos Medicos fallunt. VIII. Q. si mulier habeat lac in mammis, an præsumtio sit, eam fuisse gravidam? IX. Corporis inturgescentia pro infallibili graviditatis signo non est habenda. X. Mulieri maritatæ dicenti, se prægnantem, in dubio credendum. XI. Aliud est, si mulier vilis dicat se impragnatam. XII. Creditur obstetricibus tanquam in arte peritis. XIII. Sufficit, si obstetrix interrogata; Utrum mulier talis prægnans sit, respondeat etiam sine ratione, quia vidit. XIV. Proficuum quoque est, ad explorandum, ultra obstetrices, adhuc honestas matronas admittere. XV. Magis affirmativo obstetricum testimonio, quam negativo, aliquando saltim negativo credendum. XVI. Non creditur obstetrici deponenti, quandam fuisse virginem, & hoc ex partu cognovisse. XVII. Non præsumitur virginitas, si agatur inter virum affirmantem, uxo-

uxorem cognovisse, & uxorem id negantem. Quod si ob frigiditatem non potuerit cognoscere uxorem maritus, probatio per aspectum corporis prævalet juramento viri carnalem copulam asserentis. XVIII. Sententia ex inspectione ventris, quod mulier sit prægnans vel non, lata, admittit probationem in contrarium. XIX. Virginitatis investigatio difficultatem habet. Lepidum est, quod refertur de catello cæco Andreæ cujusdam circulatoris. XX. Quis mos fuerit apud veteres, circa virginem desponsatam, prima nocte, cum sponso concubituram? XXI. Quid de probatione virginitatis per infectionem & productionem linteaminum? XXII. Infallibilia virginitatis neutiquam dantur indicia, sed probabilia saltem.

Th. I.

HActenus varias prægnantium classes mente percurrimus, nunc prægnatio quomodo probanda sit, subjiciemus. Ejus vero probatio non in Jurisprudentiæ nascitur forulis, sed aliunde petenda est: Nam ut Medicus ea, quæ considerationis Physicæ sunt, a Physico accipit, & Physici responso acquiescens, tanquam mutuo data in forum transfert; ita JCtus in probanda prægnantia, Medicorum atque obstetricum judicio stare debet. Ubi decet Medicos esse alienos a studio patrium, nec auri fame actos, honori nominique matronæ hujus aut illius, tali videlicet patrocinio imaginario studere malle, quam veritatem ratione, experientia, conscientia quoque propria comprobantibus manifestam tueri. Hoboken. *spicil. ep. 4.* vid. Thom. Bart. *Epist. Med. cent. 1. ep. 16. & 17. p 88. & 90.* Sic ante annum in vicinia Annam Martham Ramßhornin, quæ angelum sibi apparuisse spemque angelici partus injecisse blaterabat, Eisenbergæ tribus

bus

bus obstetricibus juratis, inspectione peracta ejus graviditatem negantibus, post quatuor hebdomadas infantem peperisse, non obscurum est.

Th. II. Ac primo quidem, quod signa graviditatis concernit, ambigitur adhuc impense, quænam graviditatem certam inferant, cum indies fieri videamus, ut etiam cautissimarum obstetricum manus & oculi fallantur. *c. nec aliqua. 4 C. 27. q. 1* Imo constat inter omnes, prægnantiam ante quatuor menses difficillime congnosci posse, post eos facilius. Zacch. *l. 1. qq. Med. leg. t. 3. q. 1. n. 6.* tunc enim etiamsi vel maxime fraudem celare velit mulier, nolens nihilominus tumefactione ventris & motu fœtus ipsius in utero præcipue, si validus sit, se ipsam manifestabit. Id *l. 3. q. 10. n. fin.* Huc facit responsum Facultatis Medicæ Lipsiensis A. 1661. apud. Amm. *in Medic. Crit. cas. 95.* Daß bey einer ledigen Weibesperson ein ziemlich dicker und harter Leib, welcher zuvor nicht also gewesen, merckliche Veränderung und ungewöhnliche Flecken des Angesichts, ferner die Befindung des Wassers in Brüsten, der mit Ohnmacht zugestossene Eckel, und beständige Verhaltung der Monatlichen Zeit, so Anna N. dem Bader gestanden, ziemliche Muthmassung der geschehenen Schwängerung machen, doch aber keine unfehlbare Schwängerung, aus solchen angeführten indiciis, nicht erkennet werden mag, es wäre denn, daß Nachricht dazu käme, und das Weib zur Hälffte gelanget wäre, daß man die Bewegung der Frucht klärlich verspüren könte. Etenim hæc signa, inquit Ann. *in disc. ib.* quæ in gnere debent ingravidationem denotare, sunt etiam cacheticis familiaria vel quæ suppressione mensium laborant.

Th. III. Nolumus autem signa recentioris conceptionis exponere, sed de iis, quæ conceptum pro vectio-

rem patefaciunt, erimus solliciti. Eorum quædam desumuntur ex *matre*, quædam *ex ventre*: quædam *ex ex universo corpore pragnantis.*

Th. IV. *Ex matre:* Facies pallidior solito, in fronte nonnunquam maculæ lividæ vel citrinæ, item lentigines ruffæ, in facie, mulieri ceteroquin non familiares, emergentes: oculi contractiores ac magis cavi, & album lividius ac ad quandam citrinitatem vergens, si ejusdem venulæ cruore turgeant; si palpebræ molliantur, & ob hæc mulieris aspectus gravior atque ingratus magis reddatur: si inter oculorum angulos & nares venæ sitæ conspicuæ magis compareant. Bonaciol. *ennead. mul. cap. de indic. conc.* si mammæ cum dolore prævio, venas patentiores, crassiores, obdurescentes & colore livescentes habeant. Zach *l. 4. t. 2. q. 3. n. 16* arteriæ ad jugulum, si mulier paulisper exerceatur, plus solito pulsantes: mammarum papillæ denigratæ, circulus colore nigrusculus, & magis consueto fuscus. Succedit perversus appetitus, morsus in ore ventriculi, cordis saltus, si occyssime lætetur ocyssimeque tristetur: tormina umbilici & renum coxendicumque gravitatem persentiscat: si edulia fastidiat: si pulsus ab initio fortis & magnus, procedente tempore, parvus & velox perstet. Bonaciol. *d. l.* vomitus frequens atque amariuscula jejunantibus saliva, κακεξία, intolerantia jejunii, symptomata ex longiori statione, diutina sessione & nimis arcta præcinctione vestium: oculorum obtenebrationes, vertigo, oscitationes frequentes: tumores exulcerationesque in cruribus: dorsum tactum frigidum, collum calidum. Zacch. *cit. l. & l. 1. t. 3. q. 2.*

Th. V. *Ex ventre:* Succedanea extumescentia & calor insolitus, tumor non durus, nec laxus, aut diffluens, sed cum leni quadam renitentia mollis.

Th.

Th. VI. *Ex universo corpore* : Lividus passim color, corporis graviditas ac pigritia. id *ib.* Bonaciol. *supra cit. l.* Add. Melch. Sebitz. *exerc. Med. a p. 500. usque ad p. 513.*

Th. VII. Notandum vero, quod interdum certissima quoque gravidationis signa non modo ignaras mulieres, sed etiam peritos Medicos atque attentos fefellerint. Sicut contra reperiri videmus multas subdolas & fraudis plenas mulieres, quæ lucro inhiantes aut pœnarum vel infamiæ metu sese gravidas fingant & dejerent. Hoboken. *spicil. ep. 4.*

Th. VIII. *Q. si mulier habeat lac in mammis, an præsumptio sit, eam fuisse gravidam?* Ita quidem vult Bald. *in rubr. C. de probat. col. ult. vers. visa divisione.* Nos in contrariam abimus sententiam, cum in virginibus illibatæ pudicitiæ, imo maribus quandoque lac repertum fuerit. Sic Cardanum, Venetiis vidisse se virum 30. annorum, cui adeo lac in mammis abundabat, ut non solum puero lactando sufficeret, sed etiam saliendo prorumperet, scribit Roderic. a Castro *l. 4. Med. Pol. c. 12.* qui de quadam virgine Hamburgensi tanquam testis oculatus idem refert. Confer Sinibald. *in Geneanth. l. 4. tr. 2. c. 6.* & Casp. a Rejes *q. 47.* Et ante paucos annos fuit virgo, quæ catellum secum habens admovit sæpius uberibus, ut tandem fuerit lac in mammis sequutum. Adeoque sponsus sponsam ob id deserere non posse, evincit Quirin. Kubach. *Cent. 1. qq. Jur. Pol. dec. 10. q. 7. & cent 3. decur. 2. q. 7.*

Th. IX. Neque Corporis inturgescentia pro infallibili graviditatis signo habenda, cum compertum sit, uxorculas post partum tumido ventre extitisse. Th. Bartthol. *Cent. 4. hist. anat. 75.* & personæ hydropicæ cum ea

conflictentur, quod ex sequenti patescet historia. Eine 40. jährige Edel Weibesperson zu Neaples, ehrliches Namens, begont im Jahre 1625 im Wittwenstande, gleich an den mittlern Theil ihres Leibes zu schwellen, auch der Bauch sich also zu erheben, daß ihre 2. erwachsene Söhne vermeinten, sie hätte solche Geschwulst, durch fleischliche Wollust empfangen, und gienge mit einem Kinde schwanger. Daher Sie durch des bösen Feindes Anleitnng von ihren Geschlecht den Schimpff abzuleinen bewogen worden, daß der andere seine leibliche Mutter, mit Einstimmung des einen durch einen Schlag, auf ihrem Adelichen Erbsitz ermordet; Von dannen sich hemlich nach Neaples begeben Als solches ruchtbar worden, hat man die Mutter besichtigen zu lassen begehret Und als der tödtliche Schlag von den Gerichten befunden worden, wird ihr der Leib aufgeschnitten, sie aber nicht schwanger, sondern Wassersüchtig befunden. Acht Tage drauff stirbt der eine Sohn vor Melancholey, der andere aber, als der Thäter, meldet sich selber im Gerichte an, und wird ihm die rechte Hand abgehauen, hernach mit einem höltzernen Schlögel vor den Kopff geschlagen; Das Hertz aus dem Leibe gerissen und zweymahl vor den Mund; Folgends das Haupt abgeschlagen, und der Leib in vier Stücken getheilet. Breithaupt in Beschreibung der Insul Malta *p. 197.* apud Zeil. *Cent. 4. ep. 59.*

Th. X. Mulier maritatæ dicenti, se prægnantem, in dubio credendum. Ang. *in l. illud. n. 2. ff. si pars her. pet.* quia de facto suo agitur, ut ut persæpe mulieres dicant, se esse prægnantes, ut viris complaceant, ut tempore hyemali, vestes pelliceæ & jocalia eis emantur, ut dicit Gl. *in l. cum quid eam. 30. §. quod dicitur proximus. ff. de Acquir. her.*

Th. XI.

Th. XI. Aliud est, si mulier vilis dicat se impraegnatam. Dd. *in c. per tuas. 10. de probat.* hujus enim effato fides haud habenda, licet significet, ex quonam praegnans sit. Bart. *ad l. 1. in fin. ff. de agn. liber;* Imo si glorietur, a marito vel juvene quodam honesto stupratam se fuisse, injuriarum actione conveniri potest, quia in dolo versatur, adeoque pro arbitrio judicis, hujus suae temeritatis poenam luere debet. Menoch. *de arbitr. jud. q. Cent. 4. cas. 33. n. 2.* quam etiam ad fustigationem extendi posse, tradit Dan. Moll. *ad Const. Aug. 45. p. 4. n. 2. & 4.*

Th. XII. Reliquum est, ut, quantum obstetricibus in negotio graviditatis probandae tribuendum sit, ostendamus. Scilicet per *c. causam 14. de probat.* creditur iis tanquam in arte peritis, ut perspicue dicit Ulp. *l. 1. in pr. de vent. inspic. l. in bonorum. 10. de bon. poss. l. intestato. 3. ff. de suis & legit. l. semel. 6. C. de re mil. lib. 12. t. 36. c. fraternitatis. 6. de frigidis & malef.* quemadmodum recurritur ad Philosophos *l. si pater. 36. de sol. ad architectos. Nov. 7. c. 3. §. Scire autem.* Credetur autem iisdem tunc demum, si cum juramento deposuerint. *arg. l. hac edictali. 6 §. his illud. C. de sec. nupt.* Bartol. *in l. Theopompus ff. de dot. praleg.* Etsi enim periti in arte non teneantur de veritae jurare, nisi in iis casibus, in quibus certa notitia haberi potest, tamen de credulitate debend juramentum praestare. Masc. *de probat. Vol. 3. Concl. 1208. n. 5.* Quod si trium copia nequeat haberi, duae vocentur, quae ad probandum concordare debent. *l. 1. in pr. de Vent. inspic.* Bald. *in l. septimo mense. vel 2 de st. hom.* Non tamen unius obstetricis dictum sufficit, si plures possint haberi. *c. proposuisti 4. de probat.* Bartol. *in l. 1. pr. n. 4. de inspic. Vent.* Aut illa una obstetrix se ingerat, tunc enim se suspectam reddit, & ideo major numerus requiri-

tur, quam quando negat, ut tradunt Dd. *in l.* §. *de inspiciendo. de Vent. inspic.*

Th. XIII. Sufficit autem, si obstetrix interrogata: *utrum mulier talis prægnans sit*, respondeat etiam sine ulla ratione, *quia viderit*, nec necessum erit, aliam rationem per medium peritiæ declarare, quæ sint signa prægnantis; sufficit enim, quod assignet causam sensus, etiamsi non reddat causam intellectus, adeoque quia deponit tanquam super pependentibus a peritia artis suæ, principaliter de re sensu apprehensibili, valet dictum, sine ratione expressa, licet, in quantitate apprehensionis, adhibeatur judicium intellectus. Innocent. *in c. cum causam. 37. X. de testib.*

Th. XIV. Proficuum quoque erit, ad explorandum, utrum aliqua puella privilegio virginitatis sit munita, ultra obstetrices adhuc honestas matronas & in hoc negotio prudentes admittere arg. *c. pen. X. de probat.*

Th. XV. Denique credendum magis affirmativo obstetricum testimonio, quam negativo, aliquando saltim negativo, nominatim, si adstipulentur puellæ neganti se esse cognitam. Dan Berckring. *Inst. Oecon. l. 1. c. 2.*

Th. XVI Non vero creditur obstetrici deponenti, quandam fuisse virginem, & hoc ex partu cognovisse; potest quidem ex partu cognosci, an sit primus partus & an prius, quam tunc fuerit prægnans, sed an fuerit virgo, nec ne, id ex partu non potest cognosci. Joh. Bapt. Bajard. *ad Jul. Clar. Prax. Crim. q. 4. n. 7.*

Th. XVII. Nec præsumitur virginitas, si agatur inter virum affirmantem, uxorem cognovisse, & uxorem, id negantem, nam isto casu statur potius assertioni viri circa deflorationem, quam mulieris, si vir deponat cum juramento, secus si sine juramento id affirmaret. *c. continebatur. 6. c. duo pueri. 12. X. de despons. impub. c. si quis acceperit.*

rit. C. 33. q. 1. Quod si vero ob frigidatem non potuerit cognoscere uxorem maritus, probatio per aspectum corporis prævalet juramento viri carnalem copulam asserentis. Gl. *ad c. proposuisti. 4. X. de prob. arg. c. ad sedem. 2. C. 35. q. 5. c. testes. 15. C. 3. q. 9.*

Th. XVIII. Denique sententia ex inspectione ventris, quod mulier sit prægnans vel non, lata, admittit probationem in contrarium. *l. 30.* §. 3. *de acquir. her.* Carpz. *P. 1. C. 26. d. 5. n. 2.*

Th. XIX. Ceterum virginitatis investigatio difficultatem habet, nec hodie contingit amplius nostratibus, quod Niceph. *hist. Eccles. l. 17. c. 32.* de catello cœco Andreæ, Italici cujusdam circulatoris scribit: eum novas quasdam res peregisse atque cuilibet suum tribuisse & arcana quædam signis demonstrasse. Ubi scholiastes subjungit: Designabat mulieres utero gestantes, scortatores, adulteros, avaros, magnanimos.

Th. XX. Moris erat apud veteres, ut, dum virgo desponsata, prima nocte, cum sponso erat concubitura, colli mensuram, filo circumdato, caperent: postero mane, eodem filo collum mensurarent; quod si latius, quam ut filo comprehenderetur, inveniebant, defloratam ea nocte fuisse, pro certo habebant. Ex Mercur. *6. var. lect. c. 6.* Roderic. a Castro *in Med. Pol. l. 4. c. 12.*

Th. XXI. Quantum ad probationem virginitatis per inspectionem & productionem linteaminum, sanguine rupti hymenis infectorum, debilis ea, dubia, incerta atque fallax est, quia non in omnibus, sed paucissimis virginibus, dum dissecantur, ista castitatis pellicula seu membrana reperitur: vel quia in nonnullis hæc crassior, firmior ac robustior, ut violenta disruptione opus sit; in aliis tenuior

nuior & fragilior, ut ruptura haud sentiatur, vel quia in plerisque, præprimis adultioribus lascivo attritu aut ex casu violento facile divelli & lacerari, imo ex humorum affluxu & morbo corrumpi potest. Nec indicium ἐκ στενότητος τῦ γυναικεῖυ firmum, astutæ enim mulieres medicamentis efflictim adstringentibus eam adeo coarctant, ut virgines videantur. Panorm. *in c. 4. de probat.* Arnis. *de Jure Connub. c. 3. sect. 3. num. 20. & seqq.* Roder. a Castro. *dict. loc.*

Th. XXII. Ut brevibus me expediam, infallibilia virginitatis neutiquam dantur indicia, sed probabilia saltem. Conjungenda igitur universa, non accipienda singula: h. e. in exploratione virginitatis perpendenda collective, non spectanda distributive. Melch. Sebitz. *de not. Virginit. post exercit. Med. p. 782. & seq.*

Cap. XI. & Ult.

De Affinibus & Contrariis Prægnantium.

SUMMARIA.

Th. I. Ad Affinia referimus bruta gravida. Q. si statuto cavetur, ut capiens lupum debeat habere pro quolibet decem grossos, an si quis capiat lupam prægnantem debeat accipere plus, quam decem? Si quis capiat matrem cum lupis jam natis? II. Feras, quæ in rapacium censum non veniunt, stato duntaxat anni tempore prosequi non licet. III. Num domi-

dominus equæ, cum in alieno pasceretur, in cogendo, quod prægnans erat, possit cum eo, qui coegit, Lege Aquilia agere? IV. Si equam meam equus tuus impregnaverit, non est meum, sed tuum, quod natum est. V. Ad Contraria pertinet Impotentia Conjugalis a parte mulieris, quæ ex causis in hac thesi recensitis oritur. VI. Alia fœmina totaliter sterilis est, alia ad tempus tantum. Distinguendi sunt casus: Aut ante matrimonium contigit impotentia. Aut post illud & quid circa unumquodque juris? VII. Si mulier ex melancholia nolit cohabitare viro, potest repudiari, interim tamen debet alimentari.

Th. I.

AD Affinia personarum prægnantium referimus bruta gravida. Ubi Q. *Si statuto cavetur, ut capiens lupum debeat habere, pro quolibet decem grossos*, vel prout in antiquis præfecturæ Jenensis æstimis repertum testatur Dn. M. Beyer in *Geogr. Jenens. c. 36.* §. Wölffe, ut is, qui interemerit lupum prope Jenam, accipiat medimnum frumenti, *an si quis capiat lupam prægnantem, debeat accipere plus quam decem?* Resp. quod non, quia agitur hic de incommodo non nati vel de commodo alieno. Schneidevv. *ad §. permissum. 3. Inst. de nupt. n. 15.* Etiamsi duas lupationes lupa gestarit, quia in uno corpore sunt plures animæ & labor unius. arg. *l. Sejo. 10. pr. de ann. leg.* vel quia, quod in utero est, non videtur. arg. *l. Rutilia. 69. de contr. empt.* vel quia lex non curat de lupinis, unde non fingit eos natos. Bald. *ad. l. in utero de stat. hom. rel. 1.* Quid vero *si quis capiat matrem cum lupis jam natis.* Resp. adhuc deberi illi tantum decem, cum is, qui ex lacte nutritur, adhuc in utero, & pars viscerum

sœrum matris, esse videatur, per *l. sed addes. 19. §. si quis mulierem 7. ff. loc. & l. 1. §. 1. de vent. inspic.* Id Bald. *ad l. fin. C. de liber. caus.* D. Præses *dissert. de presecut. lupor. th. 15.*

Th. II. De reliquis feris, quæ in rapacium censum non veniunt, notandum, quod stato duntaxat anni tempore persequi eas liceat, abstinere vero quis debeat jure venandi, quo gaudet, circa id tempus, quo ventrem ferunt aut adhuc inter se coeunt, aut ob pascua nimis macræ parumque proficuæ apparent, adeoque tempus destinatum exercitio venandi superioris quidem generis feras, cervos scil. & apros a summa æstate incipit & exitu autumni terminatur, a festo Trinitatis usque ad diem Andreæ procedens vel Johannis Baptistæ usque ad festum nativitatis Christi; at inferioris a Bartholomæi die usque ad Bacchanalia, vel Ægidii usque ad Petri ferias. vid. Dn. a Seckendorff, in Teutschen Fürsten-Staat *p. 3. c. 3. Rubr.* Wildbann, u. d. g. §. 6.

Th. III. *Casus esto:* Equa cum in alieno pasceretur, in cogendo, quod prægnans erat, ejecit, quær. *Num Dominus ejus possit cum eo, qui coegit, lege Aquilia agere?* Resp. posse illum omnino, si videlicet hic percusserit aut consulto vehementius egerit, quia equam eiiciendo rupit. *l. 39. pr. ad L. Aquil.*

Th. IV. Si equam meam equus tuus imprægnaverit, non est tuum, sed meum, quod natum est. *l. 5. §. 2. de rei vind.* quoniam semina jacta cedunt solo. *§. 32. Inst. de R. D.* tibi tamen tanquam domino equi, pro locatione ejus ad actum imprægnandi, aliquantum pecuniæ solvere fas est. Sic pro elocatione ipsius in aliquibus terris domino animalis semiuncialem dari suevisse novi, veluti pro

usura tauri duos grossos. Tantum de Affinibus ad *Contrarium* transeundum.

Th. V. Contraria prægnantiæ est *Impotentia Conjugalis* ex parte mulieris, sive infœcunditas, quæ vel oritur a vitio naturali congenito; vel ex causa accidentali, utpote ex veneficio, aliterve vi adhibita, vel ex dispositione morbosa, vel ex inhabilitate viri proprii.

Th. VI. Alia tamen fœminato taliter sterilis est, alia ad tempus tantum, vel propter ætatem inconvenientem, aut tenellam constitutionem. Vid. Dn. D. Simon *Tract. de impot. Conjugal.* Distinguendi tamen casus sunt. Aut *ante matrimonium* contigit impotentia conjugalis & tunc statim divortium peti potest, si altera pars nesciverit: si vero sciverit, alter habeat alteram ut sororem, si non possit ut maritam. *c. 4. & 5. X. de frig. & malef.* Aut *post matrimonium* talis vitiositas exoritur, & tunc si revera probetur, aut statim ex solo aspectu corporis, per evidentia signa, haberi possit, judicio Ecclesiæ separatio admittitur, conceditur que viro, qui viribus integris præditus est, ut etiam vivente impotente uxore, si sterilis deprehendatur, possit contrahere cum alia. *c. 1. in fin. cod.* Sin probari nequeat, puta si ex fascino inhabilitas concipiendi descendat, jubentur per integrum triennium cohabitare, quo tempore elapso, solvitur matrimonium, & qui impotentem duxerit, potest alii renubere. *c. 5. & ult. eod.* D. Richt. *1. decis. 8. n. 16.* Negativam tuetur Myler. ab Ehrenbach, *c. 4. §. 1. Gamol. §. 7. usque ad 16.* Quod si ea, quæ judicata fuit impotens, non talis postea inveniatur, tunc ille, qui fuit absolutus per sententiam, cogitur ad priorem conjugem redire. Dessel. *in erotem. Jur. Can. cit. tit. q. fin.*

Th. VII. Ultimo notandum, quod mulier ſi ex melancholia nolit cohabitare viro, poſſit repudiari, interim tamen alimentari debeat. D. Lyncker. *ad tit. de rit. nupt. membr. ſubjectum.*

Atque hæc de jure prægnantium in præſens ſcripſiſſe ſufficiat, poterant quidem plura paginis iſtis inſeri, ſed ne nimium earum excreſceret moles, colophonem negotio imponere volumus, Deo immortali pro conceſſa Spiritus Sancti aſſiſtentia, æternas gratias habentes, & B. L. humaniter rogantes, ut, ſi a nobis erratum fuerit, ignoſcat.

F I N I S.